

lium respicit partem, cum sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium sit totius mundi. »

Hanc ipsa sancta sedes apostolica in arcanis cœlestium mysteriorum, ex apostolorum traditione, retinet dicens : Hæc hostia, quæsumus, Domine, mundet nostra delicta, quæ in arca crucis immolata totius mundi tulit offensam. Et item : Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta. Et : Respice, omnipotens et misericors Deus, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Unde 410 legem credendi, ut beatus Cælestinus scribit ad Venerium et Gallicanos episcopos, lex statuat supplicandi, Et item Prosper libro primo de Vocatione gentium (cap. 20) : « Igitur quantum attinet ad humani generis cœcitatem, longa ignorantia et superbis nocte contractam, venit in mundum creator mundi, et mundus eum non cognovit (Joan. 10), lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt (ibid., 5). Qui super omnes est, quod vidit et audivit testatur, et testimonium ejus nemo accipit (Joan. III, 31, 32). Sed quia non frustra Deus Dei Filius venit in mundum, et dedit semetipsum pro omnibus, et pro omnibus mortuus est, non tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum (Joan. XI, 52) ; et universis dicit : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis (Mat. XI, 28), et servato sibi incognoscibilis arbitrio electionis, dat sui Patrisque notitiam quibus

eam voluerit revelare : omnes filii lucis, filii promissionis, filii Abraham, filii Dei, genus electum, regale sacerdotium, veri Israelitæ, præcogniti et præordinati ad regnum Dei qui eos vocavit, non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus (Rom. IX, 24), testimonium ejus qui de cœlo venit accipiunt ; signantes quia Deus verax est, id est expresse significantes in sui salvatione, quoniam Deus verax est, implens et perficiens quod promisit Abraham omnium gentium patri, qui, pollicente Deo quod hæres futurus esset mundi, non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo, et plenissime sciens quoniam quod promisit potens est et facere (Rom. IX, 20). » Et item contra Vincentianos et Gallos (resp. 1) : « Dominus noster Jesus Christus, liber a mortis debito, et solus absque peccato, pro peccatoribus et debitoribus mortis mortuus est. Quod ergo ad magnitudinem et potentiam pretii, et quod ad unam pertinet causam generis humani sanguis Christi redemptio est totius mundi. » (Ad capit. Gal. sent. sup. 9.) A quo pretio extranei sunt, qui aut deletati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt servitutem perseveranter reversi. A qua et a pœnis æternis eidem captivitati ac servituti debitis, atque a justo iudice præparatis, nos eripere et tueri atque illæsos conservare dignetur, qui sanguine ipsius Mediatoris ac Redemptoris vestri eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum ejusdem Filii charitatis suæ. Cui cum eo in unitate Spiritus sancti est honor, et gloria, et imperium, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

413 HINCMMARI

ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS,

EX SANCTIS SCRIPTURIS ET ORTHODOXORUM DICTIS.

COLLECTIO DE UNA ET NON TRINA DEITATE,

SANCTÆ VIDELICET ET INSEPARABILIS TRINITATIS UNITATE,

Ad repellendas Gothescalci blasphemias ejusque nœnias refutandas *.

PROLOGUS.

Hincmarus, nomine non merito Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, dilectis Ecclesiæ catholicæ filiis et comministris nostris.

Diu est quod quidam, occasione accepta de finali-

* Flodoardus, libro III Historiæ Rhemensis, cap. 15 : Scripsit præterea Hincmarus librum collectum ex orthodoxorum dictis Patrum, ad filios Ecclesiæ suæ,

tate hymni, cujus auctor penitus ignoratur, in qua dicitur :

Te trina Deitas, unaque poscimus,
delectabiliter vocum novitatibus ut innotescerent in-

quod divinæ Trinitatis deitas trina non sit dicenda, cum sit ipsius summa Trinitatis unitas, ad repellendas Gothescalci blasphemias.

cumbentes, cœperunt contendere quod sicut trinus et unus Deus, ita trina et una Deitas et debeat et catholice valeat dici, unde quique pro suo modulo scriptitarunt. Inter quos et Ratramnus, Corbeiaë monasterii monachus, ex libris beatorum Hilarii et Augustini, dicta eorundem detruncando, et ad primum suum sensum incongrue inflectendo, sicut et Macarium Antiochenum episcopum de quamplurimis catholicorum libris fecisse in sexta synodo legimus, ex hoc volumen quantitatis non modicæ scribens ad Hildegarium Meldensem episcopum compilavit. Cujus perversam intelligentiam ipsa ejus collectio, scriptis authenticis collata, mendacio redarguit et revincit, veluti qui legerit apertissime pervidebit. Hæc autem **414** audiens Gothescalcus, Orbacensis monasterii Rhemensis Ecclesiæ pseudomonachus, tam invidia mei, quem in Ecclesia cantari trinam deitatem vetuisse audierat, quam more suo, qui nova et antea inaudita, canæque orthodoxorum intelligentiæ contraria adinvenire, ac proferre ab ineunte ætate suæ vitiosæ indolis delectabiliter studuit, et in eodem studio permansit, inde plurima scribere, et ad quoscunque potuit, primum latenter, deinde quantum sibi licuit, aperte mittere procuravit. Novissime diebus istis hanc subjunctam schedulam, quæ ad nos communiter per complices ac satellites suos pervenit, inde conscripsit. De qua bonis vestris desideriis placuit, ut eam in hoc opere cum integritate ponerem, et post ad singula catholicorum sententiis responderem: ut dum ipsius sententiæ fuerint de hac causa oribus catholicorum, gladio videlicet spirituali, peremptæ, cæterorum qui sensibus in illius currunt sententiam, muta fiant labia dolosa, sicque cooperante Domino omnis iniquitas oppilet os suum. Proponentes mihi verba beati Gregorii ex Homilia Evangelii (*hom. 8*) qua dicit: Quid est, inquit, quod vigilantibus pastoribus angelus apparet, eosque Dei claritas circumfulget, nisi quod illi præ cæteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse solliciti sunt, dumque ipsi pie su-

A per gregem vigilant, divina super eos gratia largius coruscat? et quod ex sententia canticorum Cantici explanat: *Nasus tuus sicut turris Libani (Cant. vii, 4)*, quia videlicet præpositorum discretio, et munita debet esse ex circumspectione, et altitudine vitæ consistere, id est in valle infirmi operis non jacere, et incursus malignorum spirituum longe prospicere, at commissas sibi animas per suam providentiam cautas reddere; ut juxta beati Petri vocem Dominum Jesum Christum sanctificemus in cordibus nostris, et parati semper simus ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea quæ in nobis est spe reddere (*1 Petr. iii, 15*). Quopropter ministerio dignatione divina indignitati meæ imposito, ad hanc sollicitudinis curam ac studium non modo vestris petitionibus sum invitatus verum et tractus, et quantum ipsa **B** deitas quæ Trinitatis est unitas dederit, et occupatio multiplex, atque contumacia inertiaque sensus mei permiserit, exsequi ea quæ petitis procurabo; ponens cum integritate sui in hoc opusculo nostræ servitutis ejusdem Gothescalci schelulas, et per singulas sententias more veterum obelum ÷, id est jacentem virgulam eis opponemus, ut quasi sagitta falsa illius dicta confodiat, his vero quæ opponentur ex orthodoxorum dictis ejus sententiis figuram XP, quæ *chresimon* dicitur prænotabimus, ut per eam catholicorum testimonia, quæ resistunt venenosis ejus sensibus, demonstrantur, et sana ac vere Christiana intelligentia, ut revera a Christo contra antichristos tradita, evidenter simplicibus et devotis mentibus ostendatur. Cum aliis pestiferis, magis **C** autem mortiferis venenis, quæ Gothescalcus sanam doctrinam **415** non sustinentibus, vovumque novitate delectantibus, et prurientes aures habentibus, qui juxta voluntatem suam magistros sibi coacervare festinant, ut magistri demum erroris fiant, qui noluerunt fieri discipuli veritatis, hibenda proponit, cogitans et loquens iniquitatem in excelsum, et ponens in cælum os suum, hæc etiam dicit:

SCHEDULA GOTHESCALCI,

Quod trina Deitas dici possit.

« Quisquis est ille qui dicit quod nequaquam
« Deitas trina dici catholice possit, sed solummodo
« Deitas una sit, debet interrogari subtiliter, quomodo
« dicat unam, vel qualiter, utrum scilicet
« naturaliter, an personaliter. Si respondet et dicit
« unam Deitatem esse credendam et confitendam
« personaliter, nisi eum concitus corrigat sensum,
« revera cum Sabellio audire meretur anathema
« sic præsentialiter, ut mereatur illud etiam parti
« jure perpetualiter. Hinc enim hæretici Sabelliani
« dicti nuncupatique sunt etiam Patripassiani, quia
« noluerunt nec omnino potuerunt negare Deum
« Patrem passum, dum Deum personaliter somniaverunt
« unum, non sicut Ecclesia sancta catholica
« et apostolica credit et confitetur, Deum naturali-

« ter unum, et personaliter trinum. At si metuens
« anathemate rite parcellit, et illud cum Patripassianis
« pati, dixerit Deitatem esse naturaliter unam, credere
« consequenter debet et confiteri, si tamen vult veniam
« mereri, prorsus esse personaliter trinam, sicut scilicet
« Deum, naturaliter unum, constat esse procul dubio
« personaliter trinum. Ac per hoc, sicut non potest in
« hymnis, et in sanctorum Patrum libris, ubi dicitur
« trinus et unus Deus, immutari et dici sanctus et
« unus Deus; ita nimirum sine mortis exitio immutari
« non potest, ubi dicitur trina et una Deitatis, ut
« ibi dicatur sancta et una Deitas, quia revera cum
« hoc nec ibi possit ullatenus fieri, ubi non est
« addita et una, sed solummodo dicitur Deitas

« trina; multa minus ibi potest fieri, ubi Deitas
 « trina dicitur et una: quia scilicet simplicibus mox
 « diceretur, sicut et dicitur: Ecce nunc jam patet
 « quia non poterat nec potest revera dici Deitas
 « trino, sed tantum Deitas una. Sed profecto jam
 « tempus est, ut qui credunt atque dicunt quod non
 « possit auctoritative neque vere dici Deitas trina,
 « cernant et legant in libro de sancta Synodo, qui
 « scriptus est in Græco, scilicet Constantinopoli, sub
 « Juniore Constantino, a centum et quinquaginta
 « Patribus jure damnatos et anathematizatos Aria-
 « nos colentes τριθεοτίας, id est tres deitates:
 « et tamen in ipso consequenter continetur volu-
 « mine, in edicto scilicet Constantini, conglorifican-
 « dam trinam Deitatem, nec addi tamen illic opus
 « fuit unam, quia scilicet, dum sub numero singu-
 « lari dicitur Deitas trina, licet non sit dicta, sub-
 « intelligitur tamen simul et una. Sic enim dilecta
 « est a Prospero trina majestas, a Prudentio trina
 « pietas, ab Aratore bis trina potestas; sic et a
 « Græcis τρισάγιον, a Latinis autem satis proprie,
 « regulariter atque catholice dicitur trina sanctitas.
 « Ac per hoc sicut ab eis catholicissime dicitur
 « τριθεοτία, sic et a nobis catholicissime trina
 « Deitas. Cum tamen et illi, et Latini eonsensu
 « 416 pari, damnaverint et damnent anathema-
 « tizaverint et anathematizent Arianos, qui colunt
 « tres majestates, tres pietates, tres potestates,
 « tres deos, atque tres deitates. Necnon etiam
 « similiter, si non multo amplius, constat et claret
 « rite damnatos atque damnandos Sabellianos,
 « eosdemque Patripassianos, qui colunt secundum
 « Judaicam paupertatem singulariter solitariam et
 « personaliter unam majestatem, pietatem, potesta-
 « tem, sanctitatem, deitatem. Namque dum solus
 « Pater sic est Deus, ut non sit ex Deo, sed genuerit
 « Deum; et solus Filius sic est Deus, ut genitus sit a
 « Deo; et solus Spiritus sanctus sic est Deus, ut
 « procedat ex ingenito simul et ex genito Deo:
 « patet prorsus, quod naturaliter unus et personali-
 « ter trinus est Deus. Item dum Deus Pater Deitas
 « est ingenita, innascibilis et innata: et Deus Fi-
 « lius Deitas genita, nascibilis et nata: et Deus
 « Spiritus sanctus Deitas est nec ingenita, innasci-
 « bilis et innata, neque genita, nascibilis et nata,
 « sed procedens a Deitate ingenita, innascibili, et
 « innata, et a Deitate genita, nascibili et nata;
 « claret, omnino quod ἅγια τριάς, id est sancta
 « Trinitas, sicut una essentialiter atque naturaliter,
 « sic procul dubio est personaliter trina Deitas:
 « sicuti scilicet majestas, pietas et potestas, ob id
 « prorsus est una simul et trina, quia revera una-
 « quæque persona per se est potestas prima, sicut
 « evidenter de Deo Dei Filio dicitur in Michæa
 « propheta: *Et tu, turris gregis nebulosa filia Hie-
 « rusalem, ad te veniet, et usque ad te veniet potestas*
 « *prima* (Mich. iv, 8). Ergo quia non est Pater
 « major Filio, neque Filius major Spiritu sancto,
 « sed omnino totæ tres personæ, sibi sunt invicem

A « cœquales et cœternæ, propterea profecto Deus
 « trinitas potestas est prima, ac per hoc non secun-
 « dum Arianos, quod absit, tres potestates, nec se-
 « cundum Sabellianos, quod absit, potestas perso-
 « naliter est una, sed secundum catholicos potestas
 « est una naturaliter, et personaliter trina. Restat
 « igitur et superest, ut illi qui sunt grammatici, si
 « nolunt esse simul et hæretici, non præsumant
 « fateri in Ecclesia veracis Dei, veri Dei, quod
 « τριθεοτία, id est trina Deitas, ulla ratione pluralis
 « existat numeri, cum sit ut claret utique singu-
 « laris, velut noverunt universi, qui vel mediocriter
 « artis grammaticæ sunt periti. Sicut enim Deas
 « Trinitas numeri singularis est juxta illud: *Bene-
 « dicta sit sancta Trinitas*, sic etiam numeri sin-
 « gularis est τριθεοτία trina Deitas; cum tamen
 B « constet econtra numeri pluralis Arianorum esse
 « τριθεοτίας, id est tres deitates, a catholicis jure
 « damnatas. Igitur jure sub numero singulari trinæ
 « et uni Deitati suppliciter, velut expedit, competit,
 « congruit, dicimus:

Te trina Deitas, unaque poscimus,
 Ut culpas ablvas, noxia subtrahas,
 Des pacem famulis, nos quoque gloriam
 Per cuncta sibi sæcula. Amen.

C « Non enim dicimus, sicut Ariani, vos, tres deita-
 « tes, poscimus ut culpas abluatis, noxia subtra-
 « hatis, delis pacem nobis, nos quoque gloriam
 « vobis. O Deitas vigila, quæ trina vocaris et una,
 « crederis, assereris, cognosceris, atque probaris,
 « auxiliare tuis, ut egenis ad omnia servis. Istud
 « attendat, appendat, et mente perpendat, cui
 C « semper adoranda, colenda, tremenda, trina
 « 417 et una Deitas dat, quod hic inserendum
 « pietas illius inspirat et donat. Quod videlicet, sicut
 « unamquamque ex Trinitate personam quisquis est
 « catholicus credit et confitetur integrum, plenum
 « perfectum penitus Deum: sic unicuique personæ
 « suam propriam deitatem, integram, plenam,
 « perfectam, penitus inesse credat, confiteatur et
 « asserat, atque pro viribus collatis et conferendis
 « deinceps divinitus contradientes quoscunque con-
 « vincat. In hoc enim liquet luce clarius, quin patet
 « sole splendidius, quod inest unicuique personæ
 « sua propria deitas atque divinitas. Quia revera
 « nequaquam assumpsit humanitatem, quod absit,
 « ullo modo tota Trinitas, sed sola tantummodo
 D « Filii deitas. Hæc est semper invicta victrix de
 « trina et una Deitate catholicæ fidei veritas. Itaque
 « sicut est ante sæcula, sic per sæcula, et in sæcula,
 « benedicta sit trina et una Deitas, majestas, po-
 « testas, pietas, veritas, charitas, et sic semper
 « omnimoda ipsi soli laus, gloria, claritas, Amen.
 « Da, Deus, vere ac vive, naturaliter une, perso-
 « naliter trine, tuis evidenter electis credere, intel-
 « ligere, confiteri et asserere, quod quemadmodam
 « tu, Deus, qui interpretaris timor, et tu Deus
 « charitas, qui interpretaris amor, cum vocaris per-
 « sonaliter trinus timor, et trinus amor, non (quod
 « absit) tres naturaliter timores et amores, verum

« naturaliter unus et timor et amor : sic nihilominus
 « cum vocaris τριθεοτία trina deitas, et trina cha-
 « ritas, non, quod absit, tres naturaliter deitates,
 « et charitates, sed naturaliter una es Deitas, et
 « una tantummodo charitas. Quod profecto per præ-
 « dicatorem veritatis, et doctorem gentium in fide
 « et veritate, qui dixit verissime, *Non ergo possu-
 « mus aliquid contra veritatem, sed pro veritate* (II
 « Cor. xiii, 8), patenter possumus probare. Siqui-
 « dem quando baptizamur, id est tingimur, ter
 « procul dubio mergimur, et tamen propterea trina
 « ipsa mersio, et trinum baptisma, id est trina
 « tinctio, non, quod absit, tres mersiones, et tres
 « tinctiones, aut tria baptismata, sed una est gene-
 « raliter mersio, et una tinctio, id est unum bap-
 « tisma, dicente Apostolo : *Unus Dominus, una*
 « *fides, unum baptisma* (Ephes. iv, 5), Pari etiam
 « modo, cum dicitur trina vel terna fides, ut est
 « illud Sedulii fidelis poetæ tui :

Iste fidem ternam, ast hic non amplectitur unam :

« non tres, quod absit, fides, sed una est fides,
 « dicente Apostolo, *una fides*. Itaque qui nolunt cum
 « Sabellianis hæreticis in æternum habere socie-
 « tatem, credant, consteantur, colant, canant cum
 « catholicis catholici τριθεοτίαν, trinam deitatem,
 « τριπλίτην, trinam sanctitatem, trinam vitam, sa-
 « pientiam, gloriam, trinum timorem, trinum amo-
 « rem, trinam charitatem, trinam lucem, salutem,
 « virtutem, pacem, claritatem, trinam majestatem,
 « potestatem, pietatem. Quippe cum debeamus etiam
 « ternam seu trinam amplecti fidem, quam negant
 « perversi Sabelliani per suam perfidam impietatem.
 « Cuncta sic esse ceu dixi, in duobus probari potest
 « patenter nominibus tantummodo singularis nu-
 « meri, hoc est in luce pariter et pace. Lux enim
 « et pax ingenita, et lux et pax genita, quin et lux
 « atque pax procedens, non tres pluraliter luces aut
 « paces dici sinuntur ab arte grammatica, neque
 « tres naturaliter, ut latrat hæresis Ariana, neque
 « personaliter una, sicut somniat hæresis Sabelliana :
 « sed procul dubio lux et pax est naturaliter una ;
 « et personaliter trina, sicut amplectens trinam et
 « unam fidem, **¶** ac per hoc credens, confitens,
 « colens, canens trinam et unam lucem et pacem,
 « majestatem, potestatem, pietatem, trinam et
 « unam deitatem. Sed trinum et unum Deum credit
 « et confitetur Ecclesia magna, sancta, catholica,
 « cui gratis data est, datur, et dabitur Dei gratia,
 « et ob id prorsus ab ea vicissim suppliciter data
 « est, datur et dabitur, ipsi trinæ et uni deitati,
 « tam per sæcula, quam simul et in sæcula, jure
 « laus, honor, gloria. Amen. Juxta illam sententiam
 « dent mihi sapientiam, dabo gloriam. Amen. Vir-
 « tutibus plenus invitus ad regimem veniat, virtu-
 « tibus vacuus nec coactus accedat. »

XP. Hactenus hæreseos, abhinc suæ inchoationis
 verba sunt Gothescalci. Quod hæreseos mortiferum
 virus idololatriæ scilicet matris, qua plures dii, imo

A dæmonia in simulaoris coluntur, diabolus sciendens
 se a charitatis unitate, verba Dei dicentis : *Facia-
 mus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*
 (Gen. i, 16), male, ut solet, interpretans adinvenit,
 et sua invidia, qua mors in orbem terrarum intra-
 vit, in succo pomi ligni vetiti primis hominibus pro-
 pinavit, dicens : *Eritis sicut dii* (Gen. iii, 5), cum
 Deus qui est sancta Trinitas, ut Athanasius in libro
 de propriis Personis, et de unito nomine Deitatis,
 et Hilarius atque Ambrosius in libris de Fide, et
 Augustinus in libris de Trinitate ostendant, in
 creatione primi hominis dixerit : *Faciamus homi-
 nem ad imaginem et similitudinem nostram*. Singulari
 quippe numero dicens *ad imaginem et similitudinem*,
 ostendit non trinam sed unam esse naturam, hoc est
 deitatem, ad cuius imaginem homo fieret : ad ima-
 ginem videlicet suam sancta Trinitas unus Deus fecit
 illum, sicut sacra Scriptura manifeste demonstrat ;
 et dicens pluraliter, *Faciamus et nostram*, ostendit
 Deum, ad cuius imaginem homo fiebat, non unam
 esse personam, sed tres esse personas. Sic et de eo
 quod Dominus in Evangelio dixerat : *Ego et Pater*
unum sumus (Joan. x, 30), idem diabolus in vasis
 sibi condignis loquens, unionem in trinitate perso-
 narum per Sabellium docuit, cui in dicto *sumus*
 mentis oculos clausit, et per Arium unius deitatis
 substantiam divisit, cui veluti et primis hominibus
 mentiens oculos ad scientiam mali aperuit, et ad
 boni ac veri scientiam clausit, in eo quod dictum
 est *unum*, ne fiat discretio potestatis. Cujus inspira-
 tione Gothescalcus Arium sensu sequens, quem
 verbotenus detestatur, post cognitam immanis sce-
 leris vindictam in eodem Ario justissime satis aper-
 tam, trinam deitatem dogmatizare non timet. Contra
 quos Arium videlicet, et Ario imo ipsius diabolu fi-
 lium Gothescalcum, beatus Ambrosius, sancto Spi-
 ritu inspirante, in libro de Spiritu sancto (cap. 13)
 exponens Apostolum : *Gratia Domini nostri Jesu*
Christi, et charitas Dei, et communicatio Spiritus
sancti cum omnibus vobis (II Cor. xv, 13) : « Adver-
 timus igitur, inquit, quod Pater et Filius et Spi-
 ritus sanctus in uno eodemque templo per naturæ
 ejusdem maneant unitatem. Ergo divinæ est pote-
 statis qui habitat in templo. Sicut enim Patris et
 Filii, ita et Spiritus sancti sumus templum, non
 multa templa, sed unum templum, qui unius tem-
 plum **¶** est potestatis, Ubi enim una deitas in-
 telligitur (cap. 14), unus Deus dicitur : quia unus
 Deus, una divinitas, et unitas intelligitur potestatis :
 et tres deos non asserimus, sed negamus, quia plu-
 ralitatem non unitas facit, sed divisio potestatis.
 Quomodo enim pluralitatem recipit unitas divini-
 tatis, cum pluralitas numeri sit, numerum autem
 non recipiat divina natura. » Hinc manifestum est,
 quia sicut unitas numerum non habet, ita trina vel
 trinitas numerum habet. Ergo quod dicitur trinam,
 vel trina, quæ habent numerum, in sancta et inse-
 parabili trinitate deitatis non recipit unitas, sed
 personarum proprietas. Prosecutus quoque per-

piat, et det pœnitentiam, et accepto sacrificio spiritus contribulati ac cordis contriti, a reatu quamvis justæ damnationis absolvat, damnatumque ipse non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile ipsa forsitan separatione sanandam. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, qui non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri. Hoc quippe fit, cum singulos quosque ut occurrerint, cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur infectere, ut justificati ex fide pacem habeant ad Deum, quam prædicabat Apostolus etiam cum dicebat: *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo* (II Cor. 5, 20). Quisquis autem a catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum: et quisquis in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præjudicant aliena peccata, quia *unusquisque in ea proprium onus portabit* (Gal. vi, 5), sicut Apostolus dicit, et quicumque in ea corpus Christi manducavit ac biberit sanguinem indigne, iudicium sibi manducat et bibit. Cum enim dicit *iudicium sibi manducat* (I Cor. ii, 19), satis ostendit quia non alteri iudicium manducat, sed sibi: quia communio malorum non macuiat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam, et persona sua non præjudicat alteri, quem in confessione mali operis socium non habet criminis. Hæc in præfatione de sanctorum Patrum verbis et sensibus interim dicta sufficiant: ab hinc eorumdem nihilominus, sed et quamplurium aliorum catholicorum assertionibus ad singula pestiferi Gothescalci verba, lethifera respondere singillatim, favente una et inseparabili Deitate, incipiemus.

Sicut venelici et sortiariæ mel ad os vasculi virus celantis ponere solent, sic Gothescalcus in initio suprascriptæ suæ compilationis hæreticorum errores proponit, et verbotenus respuit, ut credibilis se catholicum mentiens, simplicibus illudere et se commendabilem reddere possit, et hæreticus loquens contra hæreticos, lupus ovis pelle palliare se volens dicit:

I.

÷ « At si metuens anathemate rite percelli, et illud
« cum Patripassianis pati, dixerit deitatem esse natu-
« raliter unam, hoc consequenter debet et confiteri,
« **422** si tamen vult veniam mereri, prorsus esse
« deitatem personaliter trinam, sicuti scilicet Deum
« naturaliter unum censat esse, procul dubio perso-
« naliter trinum. » Et post aliquanta: « Sicut unam-
« quamque ex Trinitate personam quisquis est ca-
« tholicus credit et confitetur integrum, plenum, per-
« fectum pœnitus Deum, sic unicuique personæ suam
« propriam deitatem integram, plenam, perfectam
« pœnitus inesse credat et confiteatur et asserat.

A XL. Hæc est summa totius suæ blasphemie, quam hinc prolixo sermone confecit, in quo ut piscis, vel avis, aut quodlibet animal, per inquietudinem se volvens, amplius pessimis blasphemiarum maculis et nodis strictioribus irretiendo semet innexuit, volens proprii sensus assertionibus, sine Scripturæ testimoniis, sineque catholicorum sententiis, allegare quia sicut Deus naturaliter unus et personaliter dicitur trinus, ita deitas naturaliter una et personaliter trina dici debeat. Sed quod dicit deum personaliter trinum et naturaliter unum, verum dicit: quod autem dicit confiteri debere deitatem sic personaliter trinam, sicut naturaliter unam, profecto mentitur. Quia deitas ipsa est natura pluralitate carens et numero, qua natura vel deitate, sancta et inseparabilis Trinitas, sicut scriptum est. *Audi: Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (Deut. vi, 4), Pater scilicet, et Filius, et Spiritus sanctus, personaliter trinus, unus est naturaliter Deus. Unde Filius Dei dicit: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Non dicit, unus sumus, sed unum sumus, quod naturæ vel deitatis unitatem demonstrat. Unde etiam dicit, *Ego in Patre et Pater in me est* (Joan. x, 38); et, *Pater in me manens ipse facit opera* (Joan. xiv, 14); et: *Qui videt me, videt et Patrem* (Jan. xiv, 9): et de Spiritu sancto, *Cum, inquit, venerit paracletus quem ejus mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* (Joan. xv, 26); et: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis: ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater mea sunt: propterea dixi quia de meo accipiet et annuntiabit vobis* (Joan. xvi, 13). De his dixit quæ ad ipsam Patris divinitatem pertinent, in quibus illi æqualis est omnia quæ habet Pater habendo. Neque enim Spiritus sanctus de creatura quæ Patri est subjecta et Filio erat accepturus, quod ait *de meo accipiet*, sed utique de Patre, de quo procedit Spiritus, de quo natus est Filius. Natura igitur, id est deitas Patris, natura est Filii, natura est Spiritus sancti, qui de Patre et Filio æqualiter procedit, et ineffabilis quædam Patris Filiique communio est. Qui totus de Patre procedit, et totus de Filio, totus in Patre manet, et totus in Filio, qui sic manet ut procedat, sic procedit ut maneat. Unde naturaliter hanc habet cum Patre et Filio unitatis plenitudinem, et plenitudinis unitatem, ut totum Patrem habeat totumque Filium, ipseque totus habeatur a Patre, totus habeatur a Filio, qui etiam a Patre et Filio æqualiter datur, imo et a seipso datur, sicut Filius de eo dicit, *Spiritus ubi vult spiret* (Joan. iii, 8). Itaque sicut Pater **423** et Filius plenus et perfectus est Deus, imo unus est cum Patre et Filio Deus, atque una substantia, una deitas, una divinitas, una essentia, una natura, quæ, ut Athanasius et Ambrosius concorditer dicunt, non potest dividi in personis, juxta vocis

Dominicæ veritatem dicentis : *Itc, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19). In nomine, inquit, non in nominibus, ut et unum Deum per indistinctum divinæ essentiæ nomen ostenderet, et personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret. Et sanctus Athanasius in libro octavo de Fidei unitate (lib. x) : Qui tres, inquit, virtutes inducit, tres deos confitetur. Nos autem credimus tres personas, unam deitatem. Si tres deos inducimus, similes sumus gentibus : sed confitemur Patrem in Filio, et Filium in Patre, cum Spiritu sancto. Non separatur unitas, non dividitur Deitas » Et sic idem ipse doctor catholicus, qui jam diaconus sacro Nicæno concilio cum archiepiscopo suo Alexandro interfuit, per octo libros hinc a se contra Arianos confectos, non solum per singulas paginas, verum et per singulos, ut ita dicamus, versus ac periodos, scripsit et definivit. Non ergo trina natura, vel trina deitas, sed una natura, et una deitas est Patris et Filii et Spiritus sancti, et hæc Trinitas unus est Deus solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens. Ipse sibi unitas, deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, et quidquid ad se substantialiter dicitur. Et non ita in relativis vocabulis intelligendum est vel dicendum : quia dici non potest Pater sibi pater, vel Filius sibi filius, vel Spiritus sanctus, sibi Spiritus sanctus, sed hæc relativa vocabula ad aliam procul dubio personam referri debent. Dicente itaque Domino : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris* (Jer. xv. 18), verbis ipsius Domini, et catholicorum sententiis, separata proculque displosa est, et adhuc, vel si non potest longius, ipso tamen annuente qui aperit os mutum, et linguas infantium facit disertas, et dicit *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud* (Psal. lxxx, 11), vel latius displodetur falsitas Gothescalci, quam inordinate permiscuit veritati, tanquam leprosus in uno corpore diversos habens permistos colores. Ut enim tradunt magistri Ecclesiæ, leprosi hæreticos non absurde significant, scientiam veræ fidei non habentes, et varias erroris doctrinas proferentes. Non enim vel abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem, et justitiam sermonis ostentant. Nulla prorsus falsa doctrina est, quæ non aliqua vera internisecat. Vera ergo falsis : inordinate permista, in una disputatione vel narratione hominis, tanquam in unius corporis colore, apparentia significant lepram, tanquam veris falsisque colorum locis, humana corpora variantem atque maculantem. Hi autem tam vitandi sunt Ecclesiæ, ut si fieri potest longius remoti magno clamore Christum interpellent, sicut de leprosis legitur, quia *steterunt a louge et levaverunt vocem* (Luc. xvii, 13). Sed et necesse est Ecclesiæ præpositis, ei cunctis fidelibus, ut non modo fortiter hostibus Christi apertis resistent, verum et prudenter lupos rapaces se ovinis pellibus contegentes attendant et vitent, ne eos fallere possint, sicut hic Gothescalci, qui non solum religioso

habitu monachi, sed et falsi nominis scientia aliquandiu se contegens plures decepit, donec quod corde confoverat erupit aperte in regulum. Cujus pellem ovinam, quia se inde non bene contextit, doctores catholici detrahentes, nudum lupum, apertumque hostem ovilis Dominici, quod est Ecclesia, eum esse demonstrant. Hoc modo Athanasius in libro primo de Trinitate : « Hæc est, inquit, materia formulæ in collisione hæreticorum, et hæc tituli victoria in absolute catholicorum, quam significat principale mandatum Dei : *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19). Audi in hoc admirabile et regale decretum, in quo omne sacramentum in deitate Trinitatis unitate contiuetur. Qui dixit *in nomine*, evidenter unam deitatem in Trinitate consistere declaravit : et quod prosecutus est, *Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, per singula nomina, singulas personas inesse distinxit. » Et Hilarius in libro de Synodis : « Caret igitur, fratres, similitudo naturæ contumeliæ suspicione : nec potest videri Filius idcirco in proprietate paternæ naturæ non esse, quia similis est, cum similitudo nulla sit nisi ex æqualitate naturæ. Æqualitas autem naturæ non potest esse nisi una sit, una vero non personæ unitate, sed generis. Hæc fides pia est, hæc conscientia religiosa, hic salutaris sermo est, unam substantiam Patris et Filii idcirco non negare, quia similis est, similem vero ob id prædicare, quia unum sunt, » Hoc et de Spiritu sancto sentiendum esse, idem in fine duodecimi libri de Fide (Hilarius, lib. xii de Trinitate) demonstrat

Crans : « Dona mihi, inquiens, hanc conscientiam meæ vocem, ut quod in regenerationis meæ symbolo baptizatus in Patre et Filio et Spiritu sancto professus sum, semper obtineam, Patrem scilicet te nostrum, Filium tuum una tecum adorem, Spiritum sanctum tuum, qui ex te per unigenitum tuum est, promereat. » Et in hymno evangelico pulcherrime a se composito dicit « Spiritum Dei perfectum Trinitatis vinculum. » Et Gregorius Nazianenus, cujus verba beatus Augustinus in libro de Bono perseverantiæ (cap. 19) ad testimonium devocat dicit : « Unius deitatis, quæso vos, confitemini Trinitatem : si vero aliter vultis, dicite unius esse naturæ. » Et sanctus Ambrosius in hymno catholico dicit :

Tu Trinitatis unitas,
Orbem potenter qui regis

Quod beatus Augustinus, quasi ejus sensum exponens, in primo libro (cap. 8) de Trinitate explicat : « Divinitatem, inquit, vel ut certius expresserim deitatem, quæ non est creatura, sed est unitas Trinitatis incorporea et incommutabilis, et sibimet consubstantialis, et coæterna natura. » Et item sanctus Ambrosius in primo libro de Fide (cap. 2) : « Unum, inquit, Deum, non duos aut tres deos dicimus, ut impia Arianorum hæresis dum criminatur incurrit. Tres enim deos dicit qui divinitatem separat Trinitatis, cum Dominus di-

condo : *Itē, baptizate in nomine patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. xxxiii), unius esse Trinitatem potestatis ostenderit. Nos Patrem et Filium et Spiritum sanctum confitemur, ita ut in Trinitate perfecta et plenitudo sit divinitatis, et unitas potestatis. *Omne regnum in se divisum facile destruetur* (Matth. xii, 25), Dominus hoc dicit. Non ergo divisum est regnum Trinitatis. Si autem divisum non est, unum est : quod enim unum non est, divisum est. Tale ergo regnum esse cupiunt Trinitatis, quod divisione sui facile destruat, imo quia non potest destrui, constat non esse divisum. Hoc enim dividitur Trinitas, nec scinditur, et ideo nec corruptelæ subditur, nec ætali. » Et item (*cap. eodem*) : « Diversitas plures facit, unitas potestatis excludit numeri quantitatem, quia unitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est. » Et Augustinus in libro viii de Trinitate : « Tres, inquit, personas ejusdem essentiæ, vel tres personas unam essentiam dicimus. » Et item in libro v (*cap. 8*) : « Quidquid ad se ipsum dicitur Deus, et de singulis personis similiter dicitur, id est de Patre et Filio et Spiritu sancto, et simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter dicitur. Quoniam quippe non aliud est Deo esse, aliud magnum esse, sed hoc idem illi est esse quod magnum esse, propterea sicut non dicimus tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, sed unam magnitudinem et unam essentiam. Essentiam dico, quæ Græce οὐσία dicitur, quem usitatius substantiam vocamus. » Tres autem personas confitemur. Et sanctus Hieronymus scribens ad Damascum papam (*epist. 57*) : « Sufficiat, inquit, nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, cœternas. Taceantur tres hypostases si placet, et una teneatur. » Et item : « Si quis autem hypostasim usiam intelligens non tribus personis unam hypostasim dicit, alienus a Christo est. » Sciendum quoque est quoniam essentia, quam Græci usiam dicunt, et hypostasis, quæ substantia interpretatur, et natura et divinitas et deitas apud Latinos unum idemque est in sancta et inseparabili Trinitate, sicut catholici doctores ostendunt. Ait enim Theophilus Alexandrinus episcopus in epistola paschali (*epist. 1, in fine*) : « Cum his qui Trinitatis unam confitentur divinitatem in cœlis præmia recipiamus. » Et item in alia epistola paschali (*epist. 9, in fine*) : « Pietas in Deum toto cordis timore servetur, execrantesque deorum numerum, Patris et Filii et Spiritus sancti unam confiteamur indiscretamque substantiam, in qua et baptizati vitam æternam suscepimus. et si Dei tribuerit clementia, cum angelis merebimur Domini cum pascha celebrare. » Et item in tertia paschalis epistola (*epist. 3, sub finem*) : « Possessiones castitatis et sanctimoniam requiramus, adorantes Patris et Filii et Spiritus sancti divinitatem. » Et sanctus Cælestinus papa in epistola ad orientales episcopos (*epist. 6 ad Joan. Antioch.*) : « Optaremus, inquit, quidem, sicut est una deitatis essentia, ita inter om-

nes qui ubique sunt homines unam rectæ fidei veritatem teneri. » Et magnus Leo papa, ad sancta synodus, quæ in urbe Roma convenit, in epistola ad Theodosium Augustum (*epist. 27*) : « Obsecramus, inquit, coram unius deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur. » Et ad Palæstines (*epist. 87*) : « Natura unigeniti natura est Patris, natura Spiritus sancti, simulque impassibilis, simul est incommutabilis, sempiternæ Trinitatis indivisa unitas, et consubstantialis æqualitas. » Et ad Leonem Ravennensem episcopum (*epist. 39*) : « Apostolica reclamante doctrina, quæ nobis unam prædicat in Trinitate deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptisate sacramentum. » Et gloriosus papa Gregorius in octava decima Evangelii homilia : « Tunc quippe Abraham diem Domini vidit, cum in figura summæ Trinitatis tres angelos hospitio recepit quibus profecto susceptis, sic tribus quasi uni locutus est, quia etsi in personis numerus Trinitatis est, in natura unitas divinitatis. » Et in vigesima quarta : « Ille in hoc spiritu operationem percipit, qui fidem Trinitatis agnoscit, ut et Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unius virtutis credat, unius substantiæ esse fateatur. » Et post aliquanta : « Vera nostra requies tunc est, cum ipsam jam claritatem Trinitatis agnoscimus, quam in unitate divinitatis esse certum tenemus. » Et in homilia decima sexta Ezechielis : « Ipsa, inquit, fides atque ipsum meritum tenuit corda præcedentium, quæ replevit corda sequentium sub Testamento Novo positorum, sicut et per Paulum dicitur : *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est : Credidi propter quod locutus sum, et nos credimus propter quod et loquimur* (II Cor. iv). Spirituales quippe illi Patres omnipotentem Deum Trinitalem ita esse crediderunt, sicut eandem Trinitatem novi Patres aperte locuti sunt. Isaias namque audivit angelica agmina in cœlo clamantia : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth* (Isa. vi, 3). Ut enim personarum trinitas monstraretur, tertio sanctus dicitur : sed ut una esset substantia Trinitatis appareat, non Domini sabaoth, sed Dominus sabaoth esse perhibetur. Quod David quoque similiter sentiens ait : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* (Psal. lxxi, 8). Qui cum tertio dixisset Deum, ut unum hunc esse ostenderet, subdidit, *et metuant eum omnes fines terræ*. Paulus quoque loquitur dicens : *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (Rom. xi, 36). Ex ipso, videlicet ex Patre, per ipsum, per Filium, in ipso autem, in Spiritu sancto. Quem ergo ipsum cum tertio dixisset, adjunxit *ipsi gloria in sæcula sæculorum Amen*. Qui enim non dicit ipsis, sed ipsi, dicendo ter ipsum distinxit personas, et subjungendo *ipsi gloria* non divisit substantiam. » Et sanctus Prosper in libro Epigrammatum dicit :

Omnipotens Genitor Natusque et Spiritus almus,
Una in personis par tribus est deitas.

Et item :

Una trium deitas una est essentia.

Et venerabilis presbyter Beda in homilia dicit : **A** **N**overant tunc **427** apostoli Christum esse in **atre** per unitatem individue Trinitatis. » Et post **iquanta** : « Non autem dubitandum quia quibus **loria** Filii revelabitur, eisdem quoque Patris et **ihū** et Spiritus sancti liceat adesse conspectui, **nia** quorum una est divinitas, una ulique et inseparabilis visio est. » Et aliquanto superius : « Post **dies** decem assumptionis sue, hoc est hodierna **die**, Spiritus illos de cælo chrismate donavit. Ubi **ipsum** Christum ad eos venisse nullus ambigit, qui inseparabilem sanctæ Trinitatis naturam, virtutem, et operationem esse cognovit. » Et in homilia trigesima secunda. Quod adjunxit, *quia vos me amatis* (Joan. xvi, 27), eadem ratione sentiendum est, quia quicumque filium recte amat, hunc cum Patre et amborum Spiritu amat, « quia quorum inseparabilis est natura divinitatis, horum una eademque sunt dona virtutis. » His orthodoxorum testimoniis, qui suas sententias evangelica veritate, et apostolica auctoritate, et legis ac prophetarum oraculis confirmaverunt, sicut in memoratis eorum libris qui volet sine difficultate prævalet invenire, manifestissime declaratur, quia deitas quæ Trinitati est unitas, trina personaliter intelligi, credi, et dici non debet, ut blasphematur Gothescalcus; quia si deitas personaliter est trina, sicut tres sunt in sancta Trinitate personæ, divisa, quod absit, erit deitas in tribus illis personis, et jam non erit individua Trinitas, quæ propter unam eandemque divisibilem deitatem, id est substantiam et naturam, inseparabilis etiam in personis sensu est intelligenda, sicut Augustinus et cæteri orthodoxi doctores dicunt. Unde constantissime catholica fides prædicat deitatis unitatem in Trinitate personarum, et Trinitatem personarum in unitate deitatis venerari debere. Quoniam sicut singillatim unamquamque personam Deum et Dominum plenum ac perfectum, et quidquid substantialiter dici de Deo potest, propter unam eandemque deitatem, quæ tota in singulis est personis, confiteri Christiana veritate compellimur, ita tres deos vel dominos dicere, propter unam eandemque deitatem, sanctæ videlicet Trinitatis unitatem, quæ tota et indivisa atque inseparabilis simul est in tribus sanctæ Trinitatis personis catholica religione prohibemur. Plura siquidem et horum et aliorum catholicorum doctorum hinc testimonia hic possemus congerere, nisi hæc tantum ad demonstrandam veritatem credidissemus sufficere. Nam et Leo sanctæ catholicæ et apostolicæ sedis pontifex istorum duntaxat, qui cum tempore et si non loco præcesserunt vel merito, pauca numero, sed magna auctoritatis et recte fidei genio, testimonia Leoni Augusto ad confirmandam fidem catholicam credidit mittenda sufficere (*epist.* 97). Quapropter Gothescalci sententia dicentia, et vel quid dicat non intelligentis, vel scienter errantis, sequæ suis verbis apertissime impugnantis, sic naturaliter unam et personaliter trinam eses deita-

tem, sicut naturaliter unus est Deus et personaliter trinus, tantorum et talium testium auctoritate **428** falsissima esse revincitur, et jam secundum sacras canones Africanos ipse ad alia falsiloquia proferenda, vel quæcunque sententia sua falsa ad audiendum non debet admitti, præsertim cum scriptum sit : *In ore duorum vel trium testium omne verbum consistere debere* (Matth. xviii, 16). Et sacri Nicæni canones (*conc. Nic. can.* 2), neophytum episcopum, si circa hujusmodi personam aliquod delictum animæ reperiatur, a duobus vel tribus testibus juxta Apostolum redargutum a clero præcipiunt abstinere. Multo magis autem os hæretici, quem post *primam et secundam correptionem* (Tit. iii, 10) vitari jubet Apostolus, debet modis omnibus oppilari. Hoc namque sacrum Nicænum concilium, non ad inventionem humana, sed inspiratione et auctoritate divina constituit. Hoc omnia sancta concilia post illud habita, scilicet Antiochenum, Sardicense, Ephesinum primum, Chalcedonense, et universa provinciæ Africæ concilia confirmaverunt. Hoc omnium catholicorum sacræ Novi ac Veteris Testamenti Scripturæ tractatorum, ex eisdem Scripturis protestantur eloquia, ut quicumque vult salvus esse, tres sanctæ Trinitatis personas Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, *ὑποστάσιον*, id est ejusdem essentiae, substantiæ, deitatis, divinitatis, naturæ, vel unam essentiam, substantiam, deitatem, divinitatem, naturam inseparabilem atque indivisibilem credat et confiteatur, ita ut singillatim unamque personam verum, plenum, perfectumque Deum, et totas tres simul personas unum, verum, plenum, perfectumque Deum creat et confiteatur, quia Patris et Filii et Spiritus sancti una est deitas, quæ Trinitatis est unitas : et hæc unitate, id est deitate, quæ trina esse non potest, quoniam pluralitate et numero qui in personis est caret, unus Deus, sancta Trinitas inseparabilis etiam in personis distinctis sensu est intelligenda. In hac fide secundum traditionem Domini omnes fideliter baptizantes baptizant, et homines fideles baptizantur, et fiunt Christiani per universum mundum.

Sola pseudosynodus Ariminensis hanc Trinitatis consubstantialitatem Arii secuta dementia fraude abjecit, et ob id ex tunc et nunc, et usque in æternum, sententiam damnationis promeruit. Ergo quia, ut sanctus Cælestinus dicit, non est agentium causa solorum, universa Ecclesia quacunque novitate pulsatur, oportet ut et adversum eos, qui hanc vetustissimam et perniciosissimam hæresim, multorum fortissimorum bellatorem sudore devictam, et cælesti mucrone peremptam, redivivo furore conantur resuscitare trinam deitatem dogmatizantes, non novo sed sempiternæ deitati, quæ est unitas Trinitatis, æterno judicio proferatur primi capituli sententia sessionis octavæ quintæ synodi centum et quinquaginta trium episcoporum, sub Justiniano imperatore, et Vigilio papa, Constantinopoli contra Theodorum et omnes hæreticos habitæ : qui in principio decem et octo capitulorum

a se subscriptorum posuerunt decernendo dicentes *(synodi v act. 8, cap. 1)* : « Si quis non confitetur **429** Patris et Filii et Spiritus sancti unam naturam sive substantiam, et unam virtutem et potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam deitatem in tribus subsistentiis sive personis adorandam, talis anathema sit. Unus enim Deus est Pater ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, et unus Spiritus sanctus in quo omnia, » Et in epistola sancti Sophronii Hierosolymitani episcopi ad Sergium Constantinopolitanum episcopum, a sexta synodo (*synodi vi act. 11*) receptissima, ita scriptum est : « Trinitatem itaque in unitate credimus, et unitatem in Trinitate glorificamus. Trinitatem quidem pro tribus subsistentiis, unitatem autem propter singularitatem deitatis. Sicut igitur sancta Trinitas numerabilis personalibus est subsistentiis, sic sancta unitas extra omnem est numerum : et hæc quidem indivisibilem habet divisionem, et inconfusam gerit conjunctionem. Cum dividitur namque numerabilibus subsistentiis, et numeratur personalibus alternitatibus, identitate essentiali atque naturæ conjungitur, et omnimodam partitionem non recipit. Unitas enim singularis et incomputabilis omnem refugit secundum essentialiam numerum. Unus enim Deus a nobis enixius creditur, quoniam et deitas una flagranter prædicatur, licet in Trinitate personarum agnoscat : et unus Dominus a nobis enuntiatur, quoniam et dominatio una firmiter agnoscitur, licet in tribus subsistentiis demonstratur. Neque secundum quod unus est Deus, et una est deitas, est divisibilis et in tres Deos partibilis, vel in tres deitates producendus : neque secundum quod unus est Dominus, distans est, et in tres dominos expandendus est, ac in tres dominationes dilatandus est. Arianorum hæc est impietas, quæ in inæquales deos unum concidit Deum, et in dissimiles deitates unam partitur deitatem, et in alterigenas tres dominationes unam distinguit dominationem. » Et item : « Quemadmodum igitur unum Deum didicimus sapere, ita unam deitatem confiteri percepimus : et sicut tres subsistentias exorare didicimus, ita et tres glorificare personas instruimur. Non aliam unum Deum præter tres cognoscentes personas, neque præter tres personas consubstantiales Trinitatis, quæ sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, alteras præter unum Deum agnoscimus. Et idcirco unum hæc tria in quibus est deitas prædicamus, et tria unum quorum est deitas annuntiamus, sive quod est accuratius ac manifestius dicere, quæ Deus est atque cognoscitur. Hoc ipsum quippe et unum est, et tria creditur, et et tria prædicatur, et unum veraciter annuntiaitur : et neque unum quatenus unum est, tria recipitur, neque tria secundum quod tria sunt, unum advertitur, quod est et mirabile, et omni certe ptenum stupore est. Hoc ipsum namque et numerabile est, et refugit numerum. Numerabile quidem tribus suis subsistentiis, refugit autem numerum singularitate deitatis. Unas quippe ejus essentiali atque naturæ numerari

A penitus non admittit, uti non et differentiam deitatis introducat, et ex hoc essentiali et naturæ multitudinem unum principium faciat item : « Deus quidem est Pater, Deus vero est Filius similiter et Deus est et Spiritus sanctus, eo indivise et indimute eadem tres personæ unpleantur deitate, et in unaquaque earum funtota est. Nam deitas divisionem non sustinet, tribus ipsis personis plenissime atque perfecte espartibiliter sive ex parte eadem implens personæ sed in unaquaque existens : plenissima et unmanens, licet in tribus personis monstratur, deorum multitudinem non excurrens, licet in tribus sit subsistentiis, ut non corporalem quamdam : neque sectionem, quæ certe est impassibilis, et in se ipsa, et pari nesciens quæ creaturæ sunt propria.

B De hac epistola sextum sanctum concilium actione decima tertia dicit : « Pertractavimus quiens, et synodica venerabilis memoriæ quondam archiepiscopi sanctæ Dei Hierosolymorum civitatis et hæc reperientes cum vera fide convenientiæ stolicisque sanctorum atque probabilium doctrinis paria, utpote quæ sunt orthodoxa, retinimus, et ut salubris sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ suscepimus, et nomen ejus inseri in anaphora dypticis sanctarum Ecclesiarum justum esse judicavimus. » Similiter et in epistola Agathonis papæ juniorem Constantinum imperatorem (*synodi v act. 4*) missa scriptum est : « Ut, inquit, vestre divinitate institutæ pietati quid apostolicæ nostræ fidei contineat breviter intimemus, quam percepimus apostolicam apostolicorumque pontificum traditionem, et sacrarum quinque generalium synodum per quas fundamenta catholicæ Christi Ecclesiæ mala atque stabilita sunt. Hic igitur status est catholicæ atque apostolicæ nostræ fidei regulæ traditio, ut confidentes sanctam et inseparabilem Trinitatem, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unius esse deitatis, unius naturæ essentiali sive essentiali, unius eam prædicem naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, majestatis, potestatis et gloriæ. Et quidem de eadem sancta Trinitate essentialiter dicimus, quod unum est, et unum esse deitatis, unum esse naturæ essentiali, unum esse personarum, unum esse ratione hoc instituti. » Sed et in synodica

D Agathonis papæ, confirmata in Romana synodo centum viginti quinque episcopis, et per verba ejus ad sextam synodum (*synodi vi act. 4*) et per verba quinquaginta episcoporum Constantinopolim scriptum est : « Sola est, inquit, nostra subsistentia fides nostra, cum qua nobis vivere summa est gloria pro qua mori lucrum æternum est. Hæc perfecta nostra scientia, ut terminos catholicæ apostolicæ fidei, quos usque hactenus apostolica sedes nobiscum et tenet et tradit, tota in custodia conservemus, credentes in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilem omnium et invisibilem, et in Filium ejus et

nitum, **431** qui ante omnia sæcula ex eo natus est, verum Deum de Deo vero, lumen de lumine, natum non factum, consubstantiali Patri, id est ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt quæ in cælo et quæ in terra : et in Spiritum sanctum dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum : trinitatem in unitate, et unitatem in trinitate, unitatem quidem essentiæ, trinitatem vero personarum, sive subsistentiarum. Deum Patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum. Non tres deos sed unum Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum : non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum unam substantiam, quorum una essentia, sive substantia, vel natura, id est una deitas, una æternitas, una potestas, unum imperium, una gloria, una adoratio, una essentialis sanctæ et inseparabilis Trinitatis voluntas et operatio, quæ omnia condidit, dispensat et continet. » Quæ ita, ut verbis utamur ipsius sextæ Synodi, cum quinque ante habitis sanctis conciliis prædicabiliter receptissima, et irrefragabiliter credenda atque tenenda, in actione 18 confirmata sunt : « Excitavit igitur, inquiens sexta synodus (*synodi vi, act. 18*), Christus Deus noster fidelissimum imperatorem, novum David virum secundum cor suum inveniens, qui non dedit juxta quod scriptum est, *Somnum oculis suis, et palpebris suis dormitationem* (*Psal. cxxxii, 4*), donec per hunc nostrum a Deo congregatum sacrumque conventum, ipsam recte fidei reperit perfectam prædicationem, secundum enim a Domino editam vocem : *Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Mat'h. xviii, 20*). Quæ præsens sancta et universalis synodus, fideliter suscipiens et expansis manibus amplectens suggestionem, quæ a sanctissimo ac beatissimo Agathone antiquæ Romæ facta est, ad Constantinum piissimum ac fidelissimum nostrum imperatorem, quæ nominatim abjecit eos qui docuerunt vel prædicaverunt, sicut superius dictum est, unam voluntatem et unam operationem in incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri adæque amplexa est et alteram synodalem suggestionem, quæ missa est a sacro concilio, quod est sub eodem sanctissimo papa centum viginti quinque Deo amabilium episcoporum, ad ejus a Deo instructam tranquillitatem, utpote consonantes sancto Chalcedonensi concilio, et tomo sacratissimi et beatissimi papæ ejusdem antiquæ Romæ Leonis, qui directus est ad sanctum Flavianum, quem et columnam rectæ fidei hujusmodi synodus appellavit. Ad hæc et synodicis epistolis, quæ scriptæ sunt a beato Cyrillo adversus impium Nestorium et ad orientales episcopos. Assecuti quoque sancta quinque universalis concilia, et sanctos atque probabiles Patres, consonanterque confiteri diffinientes Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum nostrum unum de sancta et consubstantiali et vitæ originem præbente Trinitate, perfectum in **432** deitate, et per-

fectum eundem in humanitate, Deum vere et hominem vere eundem ex anima rationali et corpore, consubstantiali Patri secundum deitatem, et consubstantiali nobis secundum humanitatem. » Et sic catholice usque ad finem percurrentem sermonem confirmaverunt et subscripserunt centum quinquaginta episcopi, dicentes : « His igitur cum omni undique cautela atque diligentia a nobis formati, diffinimus aliam fidem nulli licere proferre aut conscribere, componereve aut sapere, vel etiam aliter docere. Qui vero præsumpserint fidem alteram vel componere, vel proferre, vel docere, vel tradere, aut symbolum volentibus converti ad agnitionem veritatis ex gentilitate, vel ex Judaismo, aut ex qualibet hærese, aut qui novitatem vocis vel sermonis adinventionem, ad subversionem eorum quæ nunc a nobis determinata sunt introducere, hos, si quidem episcopi fuerint aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, clericos vero a clero : si autem monachi fuerint vel laici, etiam anathematizari eos. » *Et subscriptiones* : Theodorus humilis presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, locum gerens Agathonis ter beatissimi universalis papæ urbis Romæ subscripsi. Et deinceps per ordinem singuli. Et per acclamationem more suo, sicut et in conciliis aliis legimus, anathematizaverunt omnes hæreticos, et omnes qui suffragantur hæreticis. Inter quos omnes anathematizati sunt et Prædestinatiani, quorum hæresis, auctoritate papæ Cælestini ex delegatione ipsius, per sanctum Prosperum in Galliis est revicta (*sextæ synodi act. 18*). Et in edicto Constantini imperatoris, quod petentibus episcopis ad confirmationem istius sextæ synodi fecit et confirmavit, ita scriptum est : « Credimus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum : Trinitatem in unitate, et unitatem in Trinitate, unam substantiam in tribus subsistentiis. Unitatem quidem propter naturalem unionem ac dominationem : Trinitatem vero propter trium subsistentiarum perfectionem, et divitias superexistentis bonitatis. Unitas quippe vere est Trinitas, quia unita est deitate, et Trinitas vere est unitas, divisa proprietatibus, et non dispersa æternitate : ipsa enim sibimet consemperna est, et essentia æqualis honoris est. Nec enim exstitit sæculum, quando cum Patre non erat et Filius, cujus utique vocabatur pater, si non simul cum eo erat sine principio filius? Nec erat quando non erat cum utrisque Spiritus sanctus. Unus igitur hæc tria Deus, quæ invicem cum sola singillatim differentia in communitate essentiæ inseparabiliter discernente unamquamque personam intelliguntur. Solus proinde Pater Pater est, solus Filius Filius, solus Spiritus sanctus Spiritus sanctus. His etenim differentiis non convertuntur ad invicem. Sed in his quidem inseparabiliter dividuntur : communicant autem essentiæ unitate, Trinitas simplex, et impartita atque incomposita. Ex tribus perfectis, ex seipsa perfecta, et superperfecta, una natura atque deitate, et una voluntate **433** unaque

operatione glorificanda. Quorum enim una natura est, horum et voluntas et operatio una est, sicut nos docuit Dei cultor Basilius » et in fine ipsius edicti : « Unus, inquit, Dominus, una fides, unum baptisma, una in Deo nunc est Ecclesia. Si quis igitur Christi amator est, et metuit Dominum, optatamque salutem desiderat, hanc fidem orthodoxam teneat. Nec enim erit per aliam fidem salvatus. Si quis vero hominum quidem personis gratiam exhibet, charitatis autem in Deum æmulatorem se non demonstrat, præsentemque piam nostram constitutionem non recipit, si quidem episcopus est, vel clericus, aut monachico circumdatus est habitu, depositionis pœnam persolvat : si vero in ordine dignitatum insertus est, supplicio proscriptionis multetur, eique cingulum adimatur : sin autem idioticæ sortis est, ex ac regia omnique penitus civitate exteris addicatur, et super hæc omnia terribilis atque inexpiabilis iudicii non effugiet cruciatum. »

Quapropter his quæ Gothescalvus, alter videlicet pro modulo suo Simon magus, in scriptis suis frequenter posuit spiritu furioso exagitatus, exaltato corde, et elatis oculis, se mendaciter promittens in mirabilibus super se ambulaturum, petendo ut sibi tria dolia parentur, unum videlicet dolium plenum ferventi adipe, et aliud plenum ferventi oleo et tertium plenum bullienti pice, et cum vicissim in unum quodque dolium usque ad collum intrans de illis tribus doliis illæsus exierit, credatur ab omnibus assertio illius esse verissima, qua dicit, præter istam blasphemiam quod deitas sic personaliter sit trina ut est naturaliter una, quia sicut Deus electos ad regnum æternum, ita reprobos ad interitum prædestinavit æternum, et non vult omnes homines salvos fieri, nisi tantum eos qui salvantur, et non est passus nisi tantummodo pro electis, et nullus de iis periet, pro quibus fusus est sanguis Christi, nemo fidelis ac sobrius sensum debet accommodare, præsertim cum Dominus hinc verbo et exemplo in congressione contra diabolum, dixerit : *Non tentabis Dominum Deum tuum (Matth. iv, 7)*, qui ut omnipotens agere poterat quod diabolus postulaverat, et iste implere non possit quod falso et inverecunde confingit; sed apostolico zelo succensus, contra huiusmodi mortiferas suggestiones, velut antidotum salubre debet corde et ore proferre : Si quis, inquit, aliter evangelizaverit præter id quod evangelizatum est a sancto Spiritu per ora supradictorum doctorum et sanctorum episcoporum in sex præfatis conciliis, de unitate deitatis, quæ est unitas trinitatis, et de omnibus capitulis ad orthodoxam fidem specialiter pertinentibus, quæ catholica et apostolica prædicat et tenet Ecclesia, anathema sit. Et de his quæ secundum tramitem Scripturarum traditionemque majorum diffinita sunt, contra Gothescalvum, vel contra quemcunque alium, in quamcunque disputationem intrare nemo debet præsumere, sed damnatus, ut spuria vitulamina in ipsa radice amaritudinis, **434** vel exilio, vel ergastulo, separatus

a consortio fidelium; ne aliis nocere valeat qui sibi prodesse non volet, sine retractatione male pertinaciter sentiens debet retrudi, et in ipsa exilii vel retrusionis alligatione perpetua permanere, nisi forte Deo respiciente resipiscat a diaboli laqueo a quo captus tenetur, ad ipsius misericordissimi et omnipotentissimi Domini voluntatem, sicut ex auctoritate epistolæ magni papæ Leonis ad Pulcheriam Augustam (*epist. 47*) percepimus, in qua scriptum est : « De Eutycho, inquit, totius scandali et pravitate auctore hoc clementia vestra præcipiat, ut ab eo loco qui Constantinopolitanæ urbi nimis vicinus est longius transferatur, ne frequentioribus solatiis eorum, quos ad impietatem suam traxit, utatur; monasterio quoque ipsius, cui perniciosè indigneque præsedet, catholicum abbatem jubete præponi, qui illam servorum Dei congregationem, et a pravo dogmate liberare, et institutis veritatis possit imbuerè. » Quia vero de huiusmodi tanquam de dubiis disputare non debeamus, idem Leo ad Martianum Augustum (*epist. 45*) : « Per ipsum, inquit, Dominum nostrum Jesum Christum, qui regni vestri est auctor et rector, obtestor et obsecro clementiam vestram, ut in præsentem synodo fidem, quam beati Patres nostri ab apostolis sibi traditam prædicaverunt, non patiamini quasi dubiam retractari, et quæ olim majorum sunt auctoritate damnata, redivivis nunc non permittatis conatibus excitari illudque potius jubeatis, ut antiqua Nicænæ synodi constituta, remota hæreticorum interpretatione, permaneant. » Et item ad Leonem Augustum (*Leo, epist. 84*) dicit : « Prænoscat, inquit, pietas tua venerabilis imperator, hos quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ac certandum contra illos, a sede apostolica profecturos : qui de rebus et apud Nicæam et apud Chalcedonam, sicut Deo placuit, diffinitis, nullum iniro audemus tractatum, tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas. Instructioni autem parvulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiore satiari, ministerii nostri præsidium non negamus, et sicut simpliciores non spernimus, ita a rebellibus hæreticis abstinemus, memores præcepti Dominici dicentis : *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos (Matth. vii, 6)*. Nimis quippe indignum, nimisque injustum est, eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat Spiritus sanctus per Prophetam dicens, *Filii alieni mentiti sunt mihi (Psal. xvii, 46)*. Qui etiam si Evangelis non resisterent, de illis tamen se esse monstrarent, de quibus scriptum est : *Deum se profitentur scire, factis autem negant.* » Et item ad eundem Augustum dicit : « Quæ patefacta sunt quærere, quæ perfecta sunt retractare, et quæ sunt diffinita convellere, quid aliud est quam de adeptis gratiam non referre, et ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? » Beatus quoque Ambrosius in libro primo de Fide ad Gratianum, imperatorem;

435 et sanctus Augustinus in libro contra quinque hostium genera, et Agatho papa, ac Sophronius Hierosolymorum episcopus, similiter sentientes, atque Proclus Constantinopolitanus episcopus dicens: Fugiamus turbulentos et cœnosos fallaciæ rivos, sectas Deum impugnantes, Arii dico furorem, dividendam individuum Trinitatem in quinta synodo describentes, et sanctus Athanasius in libris suis demonstrat hæc quæ Gothescalcus didicit, videlicet quia sicut Deus personaliter est trinus, sic deitas personaliter est trina, sensisse præfatum Arium et complices ejus in sacra Nicæna synodo condemnatos: quos cum omnibus qui contra symbolum Nicænum sentire præsumunt, omnia concilia catholica damnaverunt et damnant. Unde S. Gelasius ad universos episcopos per Darnaniam constitutos (*epist. 11, in principio*), « Patres, inquit, nostri catholici videlicet doctique pontifices in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica, secundum Scripturarum tramitem, prædicationemque majorum, facta semel congregatione sanxerunt inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare, nec in hac eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt, sapientissime pervidentes, quoniam si decreta salubriter cuique liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidivis omnis integra diffinitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel synodaliū regularum, non cessant elisæ pestes resumtis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, et simplicia quæque corda percutere, quid fieret si subinde fas esset perfidis inire concilium? cum quamlibet illa manifesta sit veritatis, nunquam desit quod perniciose depromat falsitas, et si ratione vel auctoritate deficiens, sola tamen intentione non cedens. Quæ majores nostri divina inspiratione cernentes, necessario præcaverunt, ut quod acta semel synodus pro fidei communione, et veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerent post hæc novis retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerant statuta pulsandi: sed auctore cujuslibet insanie ac pariter errore damnato sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujusmodi erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus, quoniam manifeste quilibet vel professione sua vel communione posset agnosci. » Et post aliquanta: « Quoniam idem ipse error cum suo auctore damnatus in particeps quolibet pravæ communionis affecto execrationem sui gestat et pœnam. »

His apostolicæ sedis auctoritatibus constat, de hac, sicut et de omni hæresi olim revicta, atque cum sectatoribus suis damnata, non debere iterum disputari: nec damnatum canonicè Gothescalcum ad iudicium revocari. Qui etiam si non solum cum certo

A et decreto numero episcoporum in causa 436 presbyteri vel diaconi, verum et si pro manifesta hæresi a solo suo episcopo fuisset damnatus, non deberet de eo refricari iudicium, sicut Gelasius papa in Commonitorio Fausto magistro militum Constantinopolim fungenti officio legationis delegato, ostendens rationabiliter a Felice papa Acacium Constantinopolitanum episcopum fuisse damnatum dicit: « Decessorem, inquit, meum exsecutorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem, quod non solum præsuli apostolico facere licet, sed et cuicumque pontifici. » Et hujusmodi præsumptores, ut Nicænum dicit concilium, anathematizat catholica et apostolica Ecclesia. Et Constantinopolitanum concilium, fidem non violandam Patrum trecentorum decem et octo, qui apud Nicæam Bithyniæ convenerant, et manere eam firmam et stabilem, et anathematizandam omnem hæresim. Et sacrum Chalcedonense concilium (*concilium Chalced., actione 5, sub fine*): « Statuit sancta et universalis synodus alteram fidem nulli licere proferre, vel conscribere, aut componere, aut sentire, aut docere aliter eos autem qui ausi sint componere fidem alteram, aut proferre, aut docere, aut tradere alterum symbolum volenti vel converti, vel ex gentilibus ad cognitionem veritatis venire, vel ex Judæis, vel hæresi quacunque, eos, si episcopi fuerint aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu et clericos a clero, si vero monachi aut laici fuerint, anathematizari. » Et hæc omnia venerunt super Gothescalci caput, et nec sic est ad se percutientem reversus. Bene facient igitur venerabiles fratres nostri monachi viri religiosi, si ita ut scriptum habetur in beati Benedicti regula, quam iurejurando se observaturos professi sunt, obedientiam dependentes eidem Patri sanctissimo, imo sancto Spiritui qui per eum locutus est, relictis non necessariis superstitionum compositionibus, sancti Ambrosii, sicut ipse sanctus Benedictus præcipit, vel nominatissimorum atque orthodoxorum hymnos, de quibus sufficienter habent, in diurnis ac nocturnis laudibus usi fuerint, in quibus et catholica fides redolet, et piæ sunt preces, et mirabilis est compositio, ne pro talibus, sicut ex hymni, cujus initium est *Sanctorum meritis inclyta gaudia*, cujusque compositorem hactenus invenire nequivimus, finalitate, ubi a quibusdam cantatur, vel potius blasphematur, *te trina deitas*, aut scienter aut nescienter scandalum in Ecclesia moveant, quæ aliis multis perturbationibus conculitur et vexatur: scientes quid mereatur, qui suo vitio unum scandalizaverit de pusillis credentibus, docente Paulo: *Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis (I Cor. viii, 12)*; et necesse sit eos canonice severitate percelli magnæ Chalcedonensis synodi, sexcentorum triginta et eo amplius episcoporum, quæ de hujusmodi diffinivit, qui debentes studere silentio et quieti, interdum etiam zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam, ecclesiastica vel

civilia **437** negotia commovent; præsertim quia ipsa sacra auctoritas canonum, Spiritu Dei condita, et totius mundi reverentia consecrata, in Africano concilio ducentorum octo episcoporum, capite septuagesimo primo præcepit ut non preces aliæ celebrentur, nisi illæ quæ in concilio cum prudentioribus collatæ fuerint, ne forte contra fidem, quod absit, in eisdem precibus, quibus fidelis quisque debet Deo conciliari, ab aliquo proferatur, ut audientibus scandalum fiat. Legant etiam horis sibi ad legendum regulariter deputatis orthodoxorum libros, et ab omnibus inveniunt contradici ut trina deitas nunquam credatur, nunquam a fidei ut videatur credibile proferatur. Inveniunt nihilominus in dictis catholicorum inepte imperitos quasi ad auctoritatem sumpsisse, quia sicut trinus Deus dicitur, ita et deitas trina dicitur. Pater quippe et Filius et Spiritus sanctus idcirco unus Deus dicitur, quia una est deitas, quæ Trinitatis est unitas Patris et Filii et Spiritus sancti, ut sancta catholica et apostolica Ecclesia per beatum et magnum papam Leonem (*Leo, epist. cap. 1*) ad Turibium Asturicensem episcopum breviter confirmando explanat, et, explanando confirmat dicens: « Hanc catholicæ fidei esse confessionem, quæ Trinitatem deitatis sic $\delta\mu\omega\delta\sigma\iota\omega\nu$ constitetur, ut Patrem et Filium et Spiritum sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat æquales, quia unitatem in Trinitate, non eadem persona, sed eadem implet essentia. » Qui autem non solum absurde, sed et infideliter dicunt, quia trina dicenda est deitas, eo quod singulis quisque in tribus personis, Pater videlicet sit Deus, Filius sit Deus, Spiritus sanctus sit Deus, ac per hoc in Patre pleno et perfecto Deo plena et perfecta sit deitas, in Filio pleno et perfecto Deo plena et perfecta sit deitas, in Spiritu sancto pleno et perfecto Deo plena et perfecta sit deitas: inveniunt si possunt quo nomine illa trina deitas dici valeat una. Si dixerint trina deitas in personis, una in deitate, non constat: si dixerint, trina deitas in personis, una in substantia vel essentia, sive divinitate aut natura, nec hoc constare constat esse certissimum. Unum enim idemque in Deo est natura, substantia, essentia, divinitas, deitas. Fateantur ergo necesse est trinum Deum dici in personis, unum in deitate: et fateantur quod non trina sed una sit deitas, quæ Trinitatis est unitas. Unde sanctus Ambrosius, sicut in libris suis latius, ita breviter in hymno suo dicit,

Tu Trinitatis unitas, orbem potenter qui regis.

Et item in alio hymno,

O lux beata Trinitatis, et principalis unitas.

Quoq; quasi exponens Augustinus in primo libro (*cap. 8*) de sancta Trinitate dicit: « Trinitatis enim unitas est deitas incorporea et incommutabilis, et sibi met consubstantialis, et cœterna natura. » Et Athanasius hanc dixit esse fidem catholicam, ut credatur quia « alia **438** est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, sed Patris et Filii et Spiritus sancti

una est divinitas, æqualis gloria, cœterna majestas. » Unde item sanctus Ambrosius in alio hymno evidenter ostendit, quomodo Deus trinus et quomodo unus credi et intelligi debeat, dicens: *Summe Deus clementiæ, mundique factor machinæ, unus potentialiter, quod Augustinus exponit substantialiter, trinusque personaliter.* Et sanctus Gregorius in homilia Ezechielis (*hom. 16*): « Veteris et Novi Testamenti spirituales patres sanctæ Trinitatis personas unius deitatis credidisse et prædicasse, et angelica in cœlo agmina incessabiliter clamare fatetur. »

His ergo perpensis, discernant honorabiles fratres nostri monachi, utrum melius sit blasphemare cum Gothescalco et Ratramno, dicendo *Te trina deitas* in hymno cujus auctorem nesciunt, an credere et cantare cum summis cœlorum virtutibus, et cum beatorum spiritibus, et cum omnibus sanctis viris catholicis, in tribus personis unam deitatis substantiam, id est deitatem. Videant etiam utrum debeant sequi blasphemias Gothescalci, quas de corde suo, vel potius maligno spiritu inspirante, mendacissime protulit, et figmenta Ratramni, quæ falso composuit de libris beati Hilarii et sancti Augustini, impugando veritatem, ut deitas trina dicatur, an veritatem Spiritus sancti, qui locutus est per sanctos prophetas, et apostolos apostolorumque successores, dicentes et confirmantes, quia tres sunt sanctæ Trinitatis personæ, et una deitas, quæ trinitatis est unitas. Nam sanctus Augustinus in primo libro de Trinitate, quasi ad Retramnum specialiter confutandum, qui de ejus libris suum mendacium quod trina dicenda sit deitas compilando voluit solidare, ipsum fidei lapidem posuit, super quem Christus videlicet manu fortis suam fundavit Ecclesiam, et quo Goliam designantem diabolum, cujus insania omnes antichristi, id est hæretici, repleti loquuntur, in fronte percussit, pro se et pro omnibus catholicis, quorum libros de fide sanctæ Trinitatis legerat, contra istum protulit (*lib. 1 de Trin., cap. 4*), dicens: « Omnes, inquit, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate quæ Deus est, divinatorum librorum veterum et novorum catholici tractatores hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unius ejusdemque substantiæ, inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem, ideoque non sint tres dii, sed unus Deus. » Attendant igitur venerabiles fratres nostri monachi viri religiosi, quod idem beatus Augustinus in libro ix de Trinitate dicit (*cap. 1*): « De credendis, inquit, nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temeritate affirmemus: in illis est auctoritas tenenda, in his veritas exquirenda. » Exquirant ergo per catholicos doctores hanc veritatem qualiter sentire debeant de Trinitatis deitate, videlicet de sanctæ Trinitatis unitate, et catholicam teneant auctoritatem, et non sequantur male sententiarum pravitatem, nec defendant pertinaciter, si quid hactenus non senserunt fideliter sed audiant et exaudiant beatum Augustinum, quemcunque **439** nostrum monentem in tractatu psalmi

centesimi trigesimi : « Si forte, inquit, erras in aliquo, quare non redis ad lac matris? quia si non extollimini, quia si non exaltatis cor vestrum, quia si non ingredimini in mirabilibus super vos, sed servatis humilitatem, revelabit vobis Deus quod aliter sapitis. Si autem hoc ipsum quod aliter sapitis defendere vultis, et pertinaciter astruere, et contra pacem Ecclesiæ, et vobis maledictum hoc quod dixit *super matrem* cum estis, ut foris a lacte separemini, foris a visceribus matris fame moriamini. Si autem perseveraveritis in pace catholica, si quid forte aliter sapitis quam oportet sapere, Deus vobis revelabit humilibus. Quare? quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. » Et quia de cætero nescienter errare non poterunt, timeant quod item egregius doctor in quarto libro (*cap. 5*) de baptismo dicit : « Cum manifestum sit, inquit, multo gravius peccare scientem quam nescientem, vellem mihi aliquis diceret, si quis in hæresim incurrat nesciens quantum malum sit, et alius ab avaritia non recedat sciens quantum malum sit, quis eorum sit pejor. Possum etiam ita proponere, si alius nesciens in hæresim irruat, et sciens alius ab idololatria non recedat, quia et Apostolus dicit : *Avaritia, quæ est idolorum servitus (Ephes. v, 5)* : quæro ergo quis peccet gravius, qui nesciens in hæresim incurrit, aut qui sciens ab avaritia, id est ab idololatria non recesserit. Secundum quidem illam regulam, qua peccata scientium peccatis ignorantia præponuntur, avarus cum scientia vincit in scelere. Sed ne forte hoc fiat facit in hæresi sceleris ipsius magnitudo, quod facit in avaritia scientis admissio, ut hæreticus nesciens avaro scienti cœquetur, amborum peccata æqualiter appendantur, ignorantis blasphemia, et scientis idololatria, et eadem sententia judicentur, ille qui Christum quærendo in verisimilem sermonem falsitatis incurrit, et ille qui nesciens Christo resistit loquenti per Apostolum : *Quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei (Ephes. v, 5)*. » Nemo igitur catholicus contra auctoritatem, nemo pacificus contra Ecclesiæ pacem certare audeat, ne schismaticus, et non catholicus, inveniat, et a Christi corpore separetur. Admonendi sunt ergo subditi ab Ecclesiæ sanctæ præpositis, ut sacræ legis verba recte intelligant, et si per se intelligere non potuerint, juxta præceptum divinæ auctoritatis, *interrogent patres suos et annuntiabunt illis, majores suos et docebunt illos (Deut. xxxii, 7)*. Et qui sacræ legis verba non recte intelligunt, admonendi sunt, secundum regulam pastorem beati Gregorii (*parte iii, cap. 25*), « ut perpendant quoniam saluberrimum vini potum in veneni sibi poculum vertunt, ac per medicinale ferrum vulnere se mortali feriunt, dum per hoc in se sana perimunt, per quod salubriter abscindere sauciata debuerunt. Admonendi sunt ut perpendant quod Scriptura sacra in nocte præsentis vitæ quasi quædam nobis lucerna sit posita, cujus nimirum 440 verba, dum non recte in-

telligunt, de lumine tenebescunt; quos videlicet ad intellectum pravum intentio perversa non raperet, nisi prius superbia inflaret. Dum enim se præ cæteris sapientes arbitrantur, sequi alios ad melius intellecta despiciunt : atque ut apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen extorqueant, student summpere, et ab aliis recte intellecta destruere, et sua perversa roborare. Unde bene per prophetam dicitur : *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum (Amos i, 15)*. Galaad namque acervus testimonii interpretatur. Et quoniam cuncta simul congregatio Ecclesiæ per confessionem servit testimonio veritatis, non incongrue per *Galaad* Ecclesiæ exprimitur, quæ ore cunctorum fidelium de Deo quæque sunt vera testatur. Prægnantes autem Galaad vocantur animæ, quæ intellectum verbi ex divino amore concipiunt, si ad perfectum tempus veniant, conceptam intelligentiam operis ostensione parituræ. Terminum vero suum dilatare est, opinionis suæ nomen extendere. Secuerunt ergo prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum : quoniam nimirum hæretici mentes fidelium, quæ jam aliquid de veritatis intellectu conceperant, perversa prædicatione perimunt, et scientiæ sibi nomen extendunt. Parvulorum corda, jam de verbi conceptione grvida, erroris gladio scindunt, et quasi doctrinæ sibi opinionem faciunt. Hos ergo cum conamur instruere, ne perversa sentiant, admoneamus prius necesse est, ne inanem quærant. Si enim radix elationis abscinditur, consequenter rami pravæ assertionis arefiunt. Admonendi sunt etiam, ne erroris discordias generando legem Dei, quæ idcirco data est ut sacrificia Satanae prohibeat, eandem ipsam in sacrificium Satanae vertant. Unde per prophetam Dominus queritur, dicens : *Dedi eis frumentum, et vinum et oleum, et argentum multiplicavi eis et aurum, quæ fecerunt Baal (Ose. ii, 8)*. Frumentum quippe a Domino accepimus, quando in dictis obscurioribus subducto tegmine litteræ, per medullam spiritus legis interna sentimus. Vinum suum nobis Dominus præstat, cum Scripturæ suæ attenta prædicatione nos debriat. Oleum quoque suum nobis tribuit, cum præceptis apertioribus vitam nostram blanda lenitate disponit. Argentum multiplicat, cum nobis luce veritatis plena eloquia subministrat. Auro quoque nos ditat, quando cor nostrum intellectu summi fulgoris irradiat. Quæ cuncta hæretici Baal offerunt, quoniam apud auditorum suorum corda corrupte omnia intelligendo pervertunt, et de frumento Dei, atque oleo, argento pariter et auro, Satanae sacrificium immolant, quoniam ad errorem discordiæ verba pacis inclinant. Unde admonendi sunt ut perpendant, quia dum perversa mente deceptis pacis discordiam faciunt, justo Dei examine ipsi de verbis vita moriuntur. » Docendi sunt etiam ut non ignorent neque contemnant decreta magni Leonis papæ ad Anastasium Antiochenum episcopum (*epist. 62, cap. 6, ad Maximum Antioch.*) in quibus scriptum est quod apostolica et 441 generalis synodi auctoritate constituit : « Illud

iniciens, dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos qui sunt domini sacerdotes, nullus sibi docendi et prædicandi jus audeat vindicare, sive ille monachus, sive sit laicus, qui alicujus scientiæ nomine gloriatur : quia et si optandum est, ut omnes Ecclesiæ filii quæ recta et sana sunt sapiant, non tamen permittendum est ut quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi prædicatoris assumat, cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore, et excellentiora membra suum officium implcant, et inferiora superioribus non resultent. »

Debent ergo fratres ac filii nostri monachi, viri religiosi, attendere professionis suæ regulam, in qua scriptum est : Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla : et, nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus, et taciturnitatem habens, usque ad interrogationem non loquatur. Si autem necessitas docendi parochiam exegerit ut per sacerdotes monachos verbum fiat ad populum, episcopus et sanitatem sensus, et catholicam fidem, atque religionis disciplinam, et humilitatis virtutem, ac sanctæ conversationis soliditatem, in eis probare debet, et sic ad doctrinæ officium provocare. Non provocati autem, nullatenus hoc quod sibi non injungitur non debent assumere, et si deprehensi fuerint aut prava docere, aut nociva monstrare, aut de doctrina in aliquo superbire, debent ab eodem officio removeri, usque dum per humilitatis satisfactionem inveniantur correcti : quia sic et Spiritus sanctus per os beati Benedicti in regula ab eo constituta, de artificibus monasterii cujuslibet artis præcipit agere : et si, quod absit, quique reperti fuerint, quoniam, ut scriptum est, et in angelis reperta est nequitia, qui in contemptus culpa ex consilio ligari maluerint, admonendi sunt ex regula pastoralis beati Gregorii (*parte III, cap. 33*), « quatenus provida consideratione perpendant, quia dum mala ex judicio faciunt, districtius contra se judicium accendunt, ut tanto eos durior sententia feriat, quanto illos in culpa arctius vincula deliberationis ligant. Citius fortasse delicta pœnitendo abluerent, si in his sola præcipitatione cecidissent. Nam tardius peccatum solvitur, quod per consilium solidatur. Nisi enim mens omnimodo æterna despiceret, in culpa ex judicio non periret. Hac ergo præcipitatione lapsi, per consilium per-euntes differunt, quia cum hi ab statu justitiæ peccando concidunt, plerumque simul et in laqueum desperationis cadunt, et a radice spei funditus evel-luntur. Hinc est quod per prophetam Dominus, non tam præcipitationum prava quam delictorum studia reprehendit, dicens : *Non forte ingrediatur ut ignis indignatio mea et succendatur, et non sit qui exstinguat propter malitiam studiorum vestrorum* (*Jer. IV, 4*). Hinc iterum iratus dicit : *Visitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum* (*Jer. XXI, 14*). Quoniam igitur **412** a peccatis aliis differunt pec-

cata quæ per consilium perpetrantur, non tam prava facta Dominus, quam studia pravitatis insequitur. In factis enim sæpe infirmitate, sæpe negligentia delinquitur, in studiis vero malitiosa semper intentione peccatur. Quo contra recte beati viri expressione per prophetam dicitur, *et in cathedra pestilentia non sedit* (*Psal. I, 1*). Cathedra quippe judicis esse vel præsentis solet. In cathedra autem pestilentia sedere est ex judicio prava committere, et ex ratione mala, discernere, et tamen ex deliberatione perpetrare. Quasi in perversi consilii cathedra sedet, qui tanta iniquitatis elatione attollitur, ut implere malum etiam per consilium conetur. Et sicut assistentibus turbis prælati, sunt qui cathedræ honore fulciuntur, ita delicta eorum qui præcipitatione corruunt, exquisita per studium peccata transcendunt. Admonendi sunt ergo, ut hinc colligant qui in culpa se etiam per consilium ligant, quanta tunc ultione feriendi sunt, qui nunc pravorum non socii sed principes fiunt. » Denique si, quod absit, aliquis de fratribus nostris hinc pro finalitate hymni, unde absque ulla necessitate exorta est ista cervicosa contentio, trinam deitatem defendendo, vel de prædestinatione sanctorum et relictione reproborum, vel quod Deus non vult omnes homines salvos fieri, et non sit pro omnibus Christus passus, cum dicat Paulus apostolus, *Deus omnes homines vult salvos fieri* (*I Tim. II, 4*), et Petrus, quia *neminem vult perire*. Et ipse Dominus per Prophetam, *Viro ego, quia nolo mortem peccatoris*, cum juxta Apostolum omnes peccaverint, Et ad Hierusalem Dominus : *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti?* (*Matth. XXIII, 37*.) Et item Paulus : *Si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro omnibus mortuus est* (*II Cor. V, 14*). Et contra doctrinam apostolicam de baptismatis sacramento, in quo nulla est discretio renatorum, pro quibus capitulis contra catholicam fidem, et doctrinam beati Augustini in libro de Correptione et Gratia, et de Prædestinatione sanctorum, ac Bono perseverantiæ, atque Hypomnesticon, et contra decreta sancti Cælestini papæ, ex cujus delegatione beatus Prosper hinc exortam hæresim per auctoritatem Scripturarum et doctrinam beati Augustini revocit et compressit in Galliis, contraque cæterorum orthodoxorum traditionem sentiens condemnatus est Gothescalcus, vel de omnibus, quæ apostolicæ sedis et sex generalium synodorum auctoritate diffinita sunt, deinceps dogmatizare, et irreverentius in sua obstinatione permanere præsumpserit vindictæ canonicæ sub-jacebit. Nemo ergo plus sibi arroget sapere quam oportet sapere, cum scriptum sit : *Sicut qui mel multum comedit non est ei bonum, ita qui scrutator est majestatis opprimitur gloria* (*Prov. XXV, 27*). Et : *Nisi credideritis, non intelligetis*. Et quia valde est difficile, ut beatus exponit Gregorius, ut omne sacrum eloquium a nobis mortalibus possit intelligi, et **413** omne ejus mysterium penetrari, restat ut quod

de mysterio divini verbi penetrare non possumus, A potestati sancti Spiritus humiliter reservemus, ut non superbe quis audeat, vel contemnere, vel denuntiare quod non intelligit, sed hoc igni tradat, cum sancto Spiritui reservat. Credat tamen indubitanter, ut Augustinus explanat, quod sermo divinus dicit, ad cuius mysterium penetrare intelligendo non sufficit: quoniam, ut beatus Cælestinus in decretis suis (*post epist. 8, in fin.*) dicit, « profundiores, difficilioresque partes incurrentium questionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere. »

At si quis hanc commonitionem nostram, auctoritate Scripturarum et orthodoxorum Ecclesiæ præpositorum fultam, non obaudierit, quoniam sacri Antiocheni canones, spiritu Dei conditi, et ut Leo dicit, totius mundi reverentia consecrati, decernunt « perfectum esse concilium, ubi metropolitanus cum suis suffraganeis interfuerit. » Et item S. Leo (*epist. 66, sub fin.*) ad Maximum Antiochenum episcopum scribit: « Quidquid, inquit, præter speciales causas synodaliū conciliorum ad examen episcopale defertur, potest habere dijudicandi rationem, si nihil de eo est a sanctis patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis et constitutione discordat, apostolicæ sedis nunquam poterit obtinere consensum. » Et sacri Nicæni canones, eosque sequentes Antiocheni et Chaleedonenses, hujusmodi quæstiones, quæ per provincias oriuntur, jubent discutere, et si quæ fortassis emergerint in provincialibus synodis, singula quæque corrigere. Agathense concilium capite trigesimo octavo (*can. 31*) decrevit, dicens: « Monachos, quos verborum increpatio non emendaverit, etiam verberibus statuimus coerceri. » Quod et sancta regula eodem Spiritu sancto, quo et sacri canones in venerandis conciliis, per os beati Benedicti promulgata, secundo capitulo jubet indisciplinatos scilicet et inquietos durius arguere, et improbos, et duros ac superbos vel inobedientes verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coercere, sicut scriptum est: Stultus verbis non corrigitur, et percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte. Memores igitur promissionis suæ doctrinam communis patris nostri beati Benedicti sequantur, qui in sexto regulæ capitulo ex prophetico testimonio dicit: Si, inquit, a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati debet cessari? Quid enim pejus potest dici quam fidei symbolum a Christo traditum, et ab apostolis apostolorumque successoribus prædicatum, in magno Nicæno concilio mystico sacerdotum numero confirmatum, pestilentissime, pertinaciter, et ex studio violare atque convellere, cum Scriptura dicat: *Sine fide impossibile est placere Deo?* Et quia in tam maxima causa, quæ illa magni Petri rectæ confessionis petra est, supra quam Dominus fundavit Ecclesiam suam, cui **444** dedit claves regni cœ-

lorum, omniumque bonorum est fundamentum, ignorant non valent offendere, si per contemptum deinceps offenderint, quod dicimus satis inviti, quem non correxerint verba, suscipient verbera, et cum gradus privatione, atque a corporis et sanguinis Christi separatione, ut Gothescalcus pertinacissimus damnatus est, condemnabitur exsilii vel ergastuli relegatione: quatenus sicut apostolicæ sedis statuta decernunt, qui contra statuta tenere tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem qui socius esse noluit disciplinæ, et cum eo habeat partem cuius sequi delegit errorem. Sed et regula sancta professionis monachorum capitulo vigesimo sexto decernit, ut talibus se quolibet modo inconsulte conjungens sortiatur excommunicationis vindictam. Unde scire fideliter quisquis fidelis debet, quoniam licet aut præpositorum Ecclesiæ scientiam latens, aut desidiam vel negligentiam, seu eludens, aut potestatem modo quolibet subterfugiens, ab his judicialibus sententiis a Spiritu sancto, qui scrutatur etiam profunda Dei et replet orbem terrarum, decretis ante oculos humanos evaserit, in conspectu tamen Dei, cuius oculis nuda et aperta sunt omnia, et qui fecit quæ futura sunt, per eorum judicia quibus dixit: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis (Matth. x, 20)*, et: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur eis, et quorum retinueritis retenta sunt (Joan. xv, 22)*, quique in cœlo cum eo regnant, et in terris miraculis coruscant, et ut beatus Leo scribit, adhuc nobiscum in suis constitutionibus vivunt, permanens in pertinacia sua ligatus exhibit de isto sæculo, nisi per dignos pœnitentiæ fructus ecclesiasticæ communioni episcopali auctoritate fuerit restitutus. Pontificalis vero auctoritas, et regia potestas, necnon et quique præfecti Ecclesiæ, id est presbyteri et monasteriorum rectores, pro certo sicut credimus sciunt ex sacra lectione, ubi inter alia desidiam Heli sacerdotis erga peccatores filios suos terribiliter multatam legunt, et scriptum de quodam rege inveniunt, *Quia dimisisti, videlicet sine ultione debita, virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius, et populus tuus pro populo illius (III Reg. xx, 42)*; sicut sanctus Gregorius ad Eusebium archiepiscopum (*lib. vii, epist. 6*) scribit: « Qui non corrigit rescanda, committit. » Et sanctus Augustinus ex sententia beati Pauli apostoli, qua dicit: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem et redarguite (Ephes. v, 11)*, in sermone de verbis Evangelii (*serm. 18*) eodem sensu explanat: « Non, inquit, negligentes sitis in corrigendis vestris, ad curam scilicet vestram quoquo modo pertinentibus, monendo, docendo, hortando, terrendo. Quibuscunque modis potestis agite, ne cum invenitis in Scripturis et in exemplis sanctorum, sive qui ante, sive qui post adventum in hac vita fuerunt, quod mali bonos in unitate

non maculant, efficiamini pigri ad corrigendos **A** **445** malos. Duobus modis non te maculat malus, si non consentias et redarguas, hoc est non communicare, non consentire : et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ, *Magis autem, inquit, et redarguite.* Non ergo consentientes sitis malis, ut non approbetis : neque negligentes, ut non arguatis : neque superbientes, ut insultanter arguatis. » Et item ex sermone de verbis Evangelii, exponens Apostolum dicentem : *Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus (II Cor. vi, 17) :* « Quid est, inquit, exire inde, nisi facere quod pertinet ad correptionem malorum, quantum pro uniuscujusque gradu atque persona salva pace fieri potest? Displicuit tibi quod quisque peccavit, non tetigisti immundum : redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam si res exegit congruam et quæ unitatem non violet disciplinam, existi inde. » Et ex sermone de generalitate eleemosynarum (*incipit : Sunt qui existimant*), exponens sententiam, *Da misericordiam, et ne suscipias peccatorem (Eccli. xii, 4) :* « Duo, inquit, ista nomina, cum dicimus homo peccator, non utique frustra dicuntur. Quia peccator est, corripe : et quia homo est miserere ; nec omnino liberabis hominem, nisi eum persecutus fueris peccatorem. Huic officio omnis invigilat disciplina, sicut cuique regenti apta et accommodata est, non solum episcopo regenti plebem suam, sed etiam pauperi regenti domum suam, marito regenti conjugem suam, patri regenti prolem suam, judici regenti provinciam suam, regi regenti gentem suam. Omnes hi, cum boni sunt, eis quos regunt bene utique volunt. Et servi juxta impertitam ab universorum Domino potestatem, qui etiam regentes regit, dant operam ut iidem ipsi quos regunt, et conserventur homines, et pereant peccatores. Ita implent quod scriptum est, *Da misericordiam, et ne suscipias peccatorem,* ne hoc in illo salvum quod peccator est velint. *Et impiis et peccatoribus redde vindictam.* Et hoc ipsum quod impii et peccatores sunt, deleatur in eis. *Benefac humili,* propter hoc quod humilis est, *et ne dederis impio,* propter hoc quod impius est, *quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam.* Qui tamen, quia non solum peccatores et impii, verum etiam et homines sunt, facit oriri solem suum super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Ita nulli homini claudenda est misericordia, nulli peccatori impunita peccata relaxanda sunt. » Et in tractatu psalmi centesimi vigesimi noni : « Quisquis consenserit peccatori, non alienis, sed suis gravatur. Consentis enim, et peccatum alterius tuum fit peccatum, et non est quare queraris quod te peccata aliena premant : premunt te, sed tua. » Et in libro de Correptione et Gratia : « Videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Ubi intelligendum est, tunc potius malum pro malo reddi, si corripicndus non corripitur, sed prava dissimulatione negligitur. Dicit enim : *Peccantes coram omnibus corripite, ut cæteri timorem*

habeant (I Tim. v, 20). Quod de his **446** peccati accipiendum est quæ non latent, ne contra Deum sententiam putetur locutus. Ille enim dicit : *Sic caverit in te frater tuus, corripe eum inter te et in secretis solum (Matth. xviii, 15).* Verumtamen et ipse ritatem correptionis eo usque perducit, ut dicit : *Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus publicanus.* » Quia pastoralis necessitas habet per plures serpentem dira contagia, separare ab omissis sanis morbidam, ab illo cui nihil impossibile forsitan separatione sanandam. Unde etiam foris regni potestati sanctus Leo ad Leonem Augustinum (*ep. 81*) scribens hoc modo demonstrat : « Cuiusmodi clementiam tuam Dominus tanta sacra sui illuminatione ditaverit, debes incunctanter vertere, regiam potestatem tibi non ad solum nunc regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et bene sunt statuta defendas, et veram pacem quæ sunt turbata restituas. Sacerdotalem namque et apostolicum tuæ pietatis animum etiam holum ad justitiam ultionis debet accendere, Constantinopolitanæ Ecclesiæ puritatem pestibus obscurat, in qua inveniuntur clerici quidam tunc temporum sensui consonantes, et intra ipsa eorum viscera assertionibus suis hæreticos foventes. In quibus deturbandis, si frater meus tuius cum nimis benigne parcat segnior indignamini pro fide vestra etiam istam Ecclesiæ stare medicinam, ut tales non solum ab ordine purgati, sed etiam ab urbis habitatione pellantur, ne ulterius sancti Dei populi perversorum num contagio polluantur. »

Nos quoque pastores et doctores nobis coram plebibus, et episcopi ac gubernatores provinciarum, atque monasteriorum rectores, qui vos abbatibus, ad nos ipsos redire debemus, et diligenter attendere, quia si inebriatus est gladius Dei in ecclesia et ut magnus Petrus dicit : *Si Angelis peccatis Dominus non pepercit, sed rudentibus inferni dæmonibus in tartarum trulidit cruciandos, in iudicium reseruet (II Petr. ii, 4),* nec nobis parcat fide et actibus apostatantibus, sicut nec sacra concilia, ut valemus relegere, pepercerunt episcopis etiam minatissimarum sedium, videlicet Alexandrinæ, Hierosolymitanæ, Constantinopolitanæ, Nicodemie. Insuper et Honorium magnæ Romanie, quia contra fidem sensisse, et prave sententibus consensisse detectus ac evidentissime convictus est, sicut in sexta synodo (*synodi vicesime sexte*) invenitur, etiam post mortem anathematizatus in hoc sæculo manifestata culpa, justo Dei condempnatus iudicio, quod jam egerat in occulto. Idem Honorius hoc in præsentis sæculo non nescit, et cum ipso merito de hoc sæculo non esse sibi potius quam illi nocerent maledictum jaculum non iudicio justitiæ, sed livore, vel temeritate bona facta pro defunctis suis potius eis prostrata illa faciunt, quam illis pro quibus fiunt : si tam

defuncti in hac vita non meruerunt, ut eis in illa vita **447** suorum viventium benefacta prodesse prævaleant. Legite beatum Augustinum in sententiis apostoli epistolæ ad Thessalonicenses, et sanctum Gregorium hinc apostolice disserentem : « Sed et pia mater Ecclesia pro omnibus in Christo, id est in unitate catholicæ pacis ac fidei, et in communione corporis ac sanguinis Redemptoris ac Salvatoris nostri quiescentibus, verum et singulare sacrificium offert : quorum derogationem non patitur, ut sanctus Cælestinus ad Gallicanos scribit episcopos (*epist.* 8) dicens : Nefas est hæc pati religiosas animas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari, quamvis maneat his beatitudo promissa, quicumque probantur persecutionem propter justitiam sustinere, quibus quid promittat Dominus in futurum sequens sermo declarat ; » quoniam ipsorum est, inquit, regnum cælorum. Unde constat, ut Felix papa dicit, et ex epistola sancti Augustini ad Bonifacium discimus, « periculosum esse de eorum meritis judicare, qui nos jam ad Dominum præcesserunt, nisi quorum manifesta sunt scelera, vel a recta fide apostasia, id est a Deo discessio, et in eis usque in finem perseverantia. » Illum enim tantum, si etiam non iudicetur ab homine, sequetur anathema, id est a Deo alienatio, qui perseveranter in vita ista fide vel operibus manet apostata. Quapropter attendentes sanctæ Scripturæ sententias, quibus dicunt : *Medice, cura te metipsum* (*Luc. iv, 27*), et : *Qui prædicas non furandum furaris* (*Rom. ii, 24*), qui abominaris idola sacrilegium facis, caveamus qui alios corrigere et docere debemus, ut non sacrilege sacras Scripturas interpretemur. sicut Arius, Macedonius, Nestorius, et Eutyches agere præsumperunt, unde ultione divina et censura canonica, Arius in Nicæna, Macedonius in Constantinopolitana, Nestorius in prima Ephesina, Eutyches apud Chalcedonam, eum omnibus eorum complicibus et fautoribus sunt damnati. Caveamus ut Scripturas non detruncemus, nec quiddam in eis, ad concinnandum confirmandumque mendacium, propter nostram statuendam sententiam, contra catholicam fidem interponamus, et inveniamur contra Paulum apostolum adulterantes verbum Dei. Revereamur etiam ne veniat super nos quod dicit Joannes apostolus in Apocalypsi : *Contestor*, inquit, *omni audienti verba prophetiæ libri huius, si quis appoverit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto, et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sancta de his quæ scripta sunt in libro isto* (*Apoc. xxi, 18*) Hæc propter infalsatores dixit, non propter eos qui simpliciter quod sentiunt dicunt, in nullo prophetia mutilata vel vitiata. Apocalypsim quippe Jesu Christi tradunt doctores catholici recapitulationem et clausulam esse totius sanctæ Scripturæ, et per hoc nomen omnem canonicam intelligi debere Scripturam, sicut et hoc quod ibidem scriptum est *testimonium Jesu* interpretantur spiri-

A tum prophetiæ Veteris ac Novi Testamenti. Quidquid enim **448** spiritus prophetiæ dixit, testimonium est Jesu, qui, sicut scriptum est, *testimonium habet a lege et prophetis*. Et ipse dicit apostolis, ac per hoc omnibus apostolicis viris, qui vel verbo, vel scripto, vel etiam recta operatione, aut pro ejus nomine passione, illi testimonium perhibent : *Et vos, inquit, mihi testimonium perhibebitis, qui ab initio mecum estis* (*Joan. xv, 17*). Sicut et promissio illius veridica de omnibus suis est rite intelligenda, qua dixit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Cujus testimonium, id est sacre Scripturæ explanationum ipsiusque explanationum, Theodorus in quinta synodo, et Macarius in sexta synodo detractores, et falsitatem appositorum inventi atque convicti, ab episcopali gradu destituti, atque cum suis complicibus condemnati, et perpetuo exilio sunt relegati. Timeamus etiam sententiam sancti Cælestini papæ, Nestorio Constantinopolitano episcopo scriptam (*epist.* 5), cui dixit : « Itaque, inquit, quamvis jam frater Cyrillus te epistolis suis asserat conventum, intelligas volo, post primam et secundam illius, et hanc correptionem nostram, quam constat esse jam tertiam, ab universitate collegii et conventu Christianorum prorsus esse disjunctum, nisi mox quæ maledicta sunt corrigantur, et nisi in eam viam redeas, quam se Christus esse testatur. Male in hunc arma desperatione movisti, qui te super familiam suam velut fidelem prudentemque servum permiserat ante constitui. Perit tibi hujus officii beatitudo promissa, qui non solum non das cibum in tempore, verum etiam veneno interficis, quos ille suo sanguine et sua morte quæsit. » Et de his quidem satis sit dictum. Restant autem adhuc plura de Gothescalci blasphemias, contra quæ non disputatoris officio, sed simplicium providentes auxilio, sicut præcedentia, sic et hæc quæ sequuntur de Patrum catholicorum dictis collegimus, ne videremur a nescientibus in responsione ad omnes Gothescalci nenas defuisse : cum S. Petrus jubeat nos paratos esse, quolibet modo pulsemur, ad satisfactionem omni poscenti. Denique post præmissas suas in Deum blasphemias, contra quas ex catholicorum doctorum sententiis, et generalium synodorum judiciis, supra respondimus, Gothescalcus subnexit, dicens :

II.

« Qui credunt atque dicunt quod non possit auctoritative neque vere dici deitas trina, cernant et legant in libro de sancta synodo, qui scriptus est in Græco, scilicet Constantinopolitani sub juniore Constantino, a centum quinquaginta Patribus jure damnatos et anathematizatos Arianos colentes « τριθεοτίας, id est tres deitates, et tamen in ipso consequenter continetur volumine, in edicto scilicet Constantini, conglorificandam trinam deitatem. »

XP. Hic et ipse se redarguit, et compilatorem

esse ostendit, quia illum ipsum librum et tres A
deitates respuere, et profiteri trinam deitatem
conglorificandam, quasi receptibiliter dicit. Nam
in epistola Agathonis papæ (*synodi vi act. 4*) ad
præfatum Constantinum et consortes imperii 449
sui directa, et in eadem synodo recitata, ita habetur :
« Hic igitur status est evangelicæ atque apostolicæ
nostræ fidei, regularisque traditio, ut confitentes
sanctam et inseparabilem Trinitatem, id est Patrem
et Filium et Spiritum sanctum, unius esse deitatis,
unius naturæ et substantiæ, sive essentiæ, unius
eam prædicemus et naturalis voluntatis, virtutis,
operationis, dominationis, majestatis, potestatis et
gloriæ, et quidquid de eadem sancta Trinitate essen-
tialiter dicitur, singulari numero tanquam de una
natura trium consubstantialium personarum com-
prehendamus regulari ratione hoc institui. » Et item
in alia epistola ejusdem papæ (*synodi vi act. 4*), ad
locum ejusdem epistolæ ita habetur : « Triunitatem
in unitate et unitatem in trinitate, unitatem quidem
essentiæ, trinitatem vero personarum sive subsis-
tentiarum, Deum Patrem confitentes, Deum filium,
Deum Spiritum sanctum, non tres Deos, sed unum
Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, non
trium nominum substantias, sed trium subsistentia-
rum unam substantiam, quorum una essentia, sive
substantia, vel natura, id est una deitas, una æter-
nitas, una potestas, unum imperium, una gloria,
una adoratio, una essentialis ejusdem sanctæ et
inseparabilis Trinitatis voluntas, et operatio, quæ
omnia condidit, dispensat, et continet. » Et in epi-
stola Sophronii Hierosolymitani episcopi (*synodi vi C*
act. 11), ab apostolica sede et ab eadem synodo re-
ceptissima : « Trinitatem, inquit, in unitate credi-
mus, et in unitate trinitatem glorificamus : trinita-
tem quidem pro tribus subsistentiis, unitatem autem
propter singularitatem deitatis. » Et item : « Ideo
bene a Deo loquis sancitum est unitatem quidem nos
sapere, una et singulari deitate et identitate essen-
tialis atque naturalis dominationis, trinitatem autem
tribus inconfusis subsistentiis, et diversitatem ter
numerandæ personalis æternitatis. » Et paulo post :
« Hoc ipsum quippe et unum est, et tria creditur,
et tria prædicatur, et unum veraciter annuntiatur :
et neque unum quod erga unum est tria recipitur,
neque tria secundum quod tria sunt unum adverti-
tur. » Et hoc modo pluraliter in eadem epistola D
idem catholicus doctor explanavit. Et in edicto, su-
prascripti Constantini, quod ad suam confirmandam
sententiam Gothescalcus commemoravit, ita scri-
ptum habetur (*synodi vi act. 18*) : « Credimus in
Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Trinitatem
in unitate, et unitatem in Trinitate, unam substan-
tiam in tribus subsistentiis, unitatem quidem propter
naturalem unionem ac dominationem, Trinitatem
vero propter trium subsistentiarum perfectionem et
divitias superexistentis bonitatis. Unitas quippe vere
est Trinitas, quia unita est deitate, et Trinitas vere
est unitas divisa proprietatibus, et non dispersita

æternitate : ipsa etenim sibi consemperna
essentia æqualis honoris est. Nec enim exasti-
culum, quando cum Patre non erat et Filius
utique vocabatur Pater, si non simul cum
sine principio Filius? Nec erat 450 cum u
Spiritus sanctus. Unus igitur hæc tria Deu
cum in invicem intelliguntur, sola singillati-
rentia in communitate essentiæ inseparabili-
cernente unamquamque personam, solus proi-
ter pater est, solus Filius filius, solus Spiritus
Spiritus sanctus. His etenim differentiis no-
vertuntur ad invicem, sed in his quidem in-
biliter dividuntur, communicant autem æ-
unitate. Trinitas simplex et impartita atque
posita ex tribus perfectis, ex seipsa perf-
superperfecta, una natura atque deitate,
voluntate, unaque operatione glorificanda. Q
igitur una natura est, horum voluntas et o
una est, sicut nos docuit Dei cultor Basiliu
post plura ipsius edicti, ita scriptum in novo
habetur : « Amplectimur sanctas et univ
quinque synodos, quæ in Nicæa trecentorum
et octo Patrum, qui adversus Arianam conse-
insaniam, qui cooperante trina et conglori-
deitate sacrum fidei symbolum terminarunt

Hoc nomen feminini generis adjectivum ac
quod hic est impositum *Trina*, a Gothescalco
do præfatus liber in monasterio Altvilla
ipse morabatur, ex authentico, quem mihi
episcopus Aretinus commodaverat, scriptu
adulteratum credimus, sicut multoties ab a-
reticis factum legimus. Quoniam alibi ter. ce-
ficanda deitate reperimus, quod idem est ac
nitatis conglorificanda deitate dicitur, sicut
hujus libri superioribus demonstratur. Dat-
nobis certum indicium Gothescalcum falsum
librum, quia per idem tempus quando hic c
monasterio Altvillarum scriptus fuit, Raj
Corbeie monachus, sicut jam longe superi-
mus, ad Hildegarium Meldensem episcopus
bris sanctorum Hilarii et Augustini de T
(*Augustini liber falsatus*), non modicæ qua-
volumen compilavit, volens asserere trinam
deitatem, cujus compilatio evidenter comp-
sui demonstrat mendacium. Sed et liber sa-
gustini contra quinque hostium genera, sicut
in eodem libro dicit, id est contra Paganos, J
Manichæos, Sabellianos et Arianos, a quod
hinc videlicet quia trina deitas catholice pot-
contendebat, tunc temporis regi datus fuit
comperimus falsatum hoc modo. Nam cum
die haberemus sermonem de unitate deitatis
et Filii et Spiritus sancti, inter alia diximus
Augustinum multoties in libro quinto de T
dicere : « Quod quidquid ad se id est substai-
de Deo dicitur, singulari numero et de sin-
de tribus simul personis sit essendum. » Qu-
unus ex his cum quibus inde sermonem hab-
non contentiosa intentione, sed forte putan-

stinum ita dixisse, de hoc libro testimonium protulit, **A** dicens quod veritas essentialis sit nomen, dicente Domino, *Ego sum veritas*. Unde idem Augustinus scripsit, **U**na et trina veritas. Quod audiens, librum domino regi **451** datum ab eo accepi, et perlegens inveni, ab **eo** loco ipsius libri, ut sanctus Augustinus dicit: **G**ratia tibi, Deus virtus; gratias tibi, Deus Pater, **q**ui et Filium tuum ostendisti, et mihi doctorem **d**edisti, interpositum esse ab adulterante: Gratias tibi, **D**eus; gratias tibi, vera et una Trinitas, una et trina **v**eritas, trina et una unitas. Et post hæc quod **p**osuit Augustinus sub junctum: Gratias tibi, Deus **P**ater, qui et Filium tuum ostendisti, et mihi doctorem **d**edisti. Quod relegens valde miratus fui, quoniam **h**æc in eodem libro, nec usquam in cujusquam **c**atholici opere, minime autem in beati Augustini **i**n **v**eneram. Quapropter de pluribus civitatibus ac **m**onasteriis vetustissimos codices in unum afferri feci, **p**er quos falsitatis sacrilegium, et sacrilegium **m**anifestissime deprehendi. Inter quos vetustissimos **l**ibros, de quibusdam monasteriis allati sunt etiam **m**ihi noviter scripti quaterniones, in quibus hanc **f**alsitatem insertam inveni, et diligentius ac sollicitius **p**erscrutatus comperi, omnes illos quaterniones **d**e eodem fonte cænoso, de quo et domino regi datus **l**iber falsatus fuerat transcriptus, rivulo fraudulento **m**anasse. Et quia in proximo futura erat synodus **q**inque provinciarum videlicet Remorum, Rhotomagorum, Turonum, Senonum, et Lugdunensium, **a**pod Suessorum civitatem, in præsentia domni **C**aroli regis gloriosi et episcoporum qui ad eandem **s**ynodum convenerant, et librum falsatum et **a**uthenticos ac veros et vetustissimos codices protuli, **e**t unicuique episcopo, sed et illi qui simpliciter **f**alsatum codicem regi dederat, librum authenticum **a**d **i**nspicendum dedi, et hoc diploma coram omnibus **i**n eadem synodo relegi feci, sicut hic sequitur **s**criptum. Augustinus in libro tertio de doctrina **C**hristiana (*cap. 1 et 2*) dicit: « Cum verba propria **f**aciunt ambiguum scripturam, primo videndum est **n**e male distinxerimus, aut pronuntiaverimus. Cum **e**rgo adhibita intentio incertum esse perviderit, **q**uomodo distinguendum, aut quomodo pronuntiandum **s**it, consulat regulam fidei, quam de Scripturarum **p**lanioribus locis et Ecclesiæ auctoritate percepit. **Q**uod si ambæ, vel etiam omnes si plures fuerint, **p**artes ambiguitatis secundum fidem sonuerint, **t**extus ipse sermonis a præcedentibus et consequentibus **p**artibus, quæ ambiguitatem illam in medio **p**osuerant, restat consulendus, ut videamus cuinam **s**ententiæ de pluribus quæ se ostendunt ferat **s**uffragium, eamque sibi contexi patiatur. » Obediamus **e**rgo consilio et doctrinæ beati Augustini, et primo **v**ideamus quæ hic in hoc libro interposita sunt, **e**t **t**unc demum præcedentia et subsequenta inspiciamus. Hic interpositum est, *Gratias tibi, vera una Trinitas, una et trina veritas, trina et una unitas*. In **p**recedentibus scriptum est: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus, non divisoribus sanctæ*

Unitatis, sed hominibus bonæ voluntatis. Et item: « Eternitas una est, atque substantia. Dico quia **P**ater et Filius Deus, dico quia unum sunt, **452** dualitas in prole, unitas in deitate: alterum facit **u**nus nativitas, sed unum ostendit divinitas: cum **d**ico Filius, alter est, cum dico Deus, unus est. **E**rubescite, Ariani. Tunicam hominis jam **j**udicati in cruce pendentis carnifices Pilati non sunt ausi **c**oncindere, et vos conamini charitatem Dei in cælo **s**edentis, imo ipsam charitatem Deum dividere. Sed **c**onamini, quantum potestis, conamini: vos in **i**nfernum ruistis, jam non eam rumpetis. » Et in **s**ubsequentibus scriptum est: « Homo iste modo venit, **m**undum subvertit, et fidei unitatem scindit, **T**rinitatem dividit. » Et item: « Qui Spiritum sanctum **a** Patre et Filio æternitate, substantia, vel **c**ommunionem separat, eumque negat Spiritum esse **P**atris et Filii, plenus est spiritu immundo, vacuus est **S**piritu sancto. Ideo enim dicitur Deus **c**haritas, quia non partibus dividit unitatem, sed ineffabiliter **c**oagulat Trinitatem. Ipsa est enim Trinitas **u**nus Deus, turris fortitudinis a facie inimici, qui **c**redentes in se custodit. »

Hæc præcedentia et subsequenta catholica beati Augustini verba, omnibus catholicis et rectæ fidei **c**oncordantia, evidenter ostendunt ista verba, quæ **h**ic sunt interposita, ab Augustino non fuisse **p**rolata, sed ab adulterante verbum Dei et catholicam **f**idem hic per imposturam immissa. Et iterum, secundum **e**jusdem beati Augustini consilium et doctrinam, **f**idei regulam consulamus. Fides, inquit Athanasius, **c**atholica hæc est, ut unum Deum in trinitate **s**cilicet personarum, et trinitatem videlicet personarum **i**n unitate deitatis veneremur, neque confundentes **p**ersonas, ut tres non sint, neque substantiam **s**eparantes, ut trina sit, quia alia est persona **P**atris, alia **F**ilii, alia Spiritus sancti, sed Patris et Filii et **S**piritus sancti una est divinitas, id est deitas, quæ **u**t idem Athanasius et Ambrosius et idem Augustinus **d**icunt, Trinitatis est unitas. Inquiramus etiam, **s**ecundum edicta imperatorum, per anteriores et **v**eraciores testes quos tenetis in manibus, si quid **a**mbiguitatis residuum est de hac re certissima **v**eritatem. Et quoniam lex dicit, quod et Dominus in **E**vangelio **f**irmiter, *in ore duorum vel trium testium stare omne **v**erbum*, et Apostolus in accusatione presbyteri **t**otidem testes requirit, et Nicænum concilium **a**dversus neophytum episcopum juxta apostolicam doctrinam **e**jusdem numeri testes quærit, et lex publicæ **r**ei septem postulat, donec plures producamus, horum **n**on modo septem, verum et amplius quatuordecim **v**eterum et anteriorum testium astipulatione, in **q**uibus de ista super interposita beato Augustino **f**alsitate nihil habetur, his quæ præmisimus beati Augustini **v**erbis fidem adhibeamus, et ab hoc falsitatis **n**ævo **p**artefacta veritate innoxium esse credamus. Et hæc **p**erlecta schedula, et inspectis veris libris et antiquissimis, qui de hac falsitate inventi sunt nihil **h**abere **p**robatum est adulteratum fuisse hunc quem **p**redixi.

nus beati Augustini librum. Et post hæc idem qui falsatum librum regi dederat dixit: Vos quæ dico patienter **453** audietis; et protulit testimonium beati Ambrosii de deitate Trinitatis, ad confirmandam quæ inventa est in beati Augustini libro imposturam. Quod testimonium catholicissimum eidem imposturæ manifestissime contradixit; et omnes mirati fuimus, cur tale protulerit testimonium, quod eamdem sententiam non solum non confirmaverit, verum ut falsitatem veritatis infirmaverit. Deinde dixit in præstato sibi libro beati Augustini, qui titulatur *de Verbis Domini*, invenisse superscriptionem sermonis ejus *de una Trinitate, trinaque unitate*. Itemque mirati fuimus superscriptionem tantummodo illum attendisse, et non quæ in eodem sermone a beato Augustino catholice dicta sequerentur intelligenter legisse. Nam vulgo loquens contra Sabellianos et Arianos dicit in eodem sermone (*serm. 63 de verbis Domini, cap. 1, 2*). Habemus, inquit, distinctam Trinitatem; et si consideremus loca, audeo dicere, quamvis timide id dicam, tamen audeo, quasi separabilem Trinitatem. » Et paulo post (*cap. 2*): « Tria hæc quasi separantur locis, separantur officiis, separantur operibus. » Et hoc modo, sive hoc sensu, tropo illo qui metonymia, id est transnominatio, dicitur, titulus hujus sermonis sonat *de una Trinitate, trinaque unitate*. Et post præmissa, beatus Augustinus mox in eodem sermone subjunxit: « Dicat mihi aliquis, ostende inseparabilem Trinitatem. » Et post paululum (*cap. eodem*): « Ipsa tamen fide rectissime ac robustissime retinemus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, inseparabilem esse Trinitatem, unum Deum non tres deos: ita tamen unum Deum, ut Filius non sit Pater, ut Pater non sit Filius, ut Spiritus sanctus nec Pater sit nec Filius, sed patris et filii Spiritus. Hanc ineffabilem divinitatem apud seipsam manentem, omnia innovantem, creatorem, recreantem, mittentem, revocantem, judicantem, liberantem, hanc ergo Trinitatem ineffabilem simul novimus et inseparabilem. » Et item (*cap. eodem*): « Ubi est inseparabilis Trinitas? Quando ego istum sensum a multis extraho, et ad unum Deum Trinitatem inseparabilem colligo, ut aliquid videam quod dicam. » Et post multa (*cap. 5*): « Ultra locos corporales est divinitas: nemo eam tanquam in spatio requirat: ubique invisibilis et inseparabiliter adest, non in parte major, non in parte minor, sed ubique tota, nusquam divisa. Quis videt hoc? quis capit hoc? Compescamus nos, meminerimus qui unde loquimur; illud et illud, quidquid est quod Deus est, pie credatur, sancte cogitetur, et quantum datur, quantum potest, ineffabiliter intelligatur. » Et item post aliquanta (*cap. 7*): « Tria hæc sunt in te, quæ potes numerare, et non potes separare. Hæc ergo tria, memoriam, intellectum, voluntatem, hæc, inquam, tria animadvertite separatim pronuntiari, inseparabiliter operari. » Et item post plurima (*cap. 10*): « Credo Patrem et Filium et Spiritum sanctum, per signa quædam visibilia, per species quas-

Adam assumptæ creaturæ, posse et separabiliter monstrari, et inseparabiliter operari. Suff non dico Pater memoria est, Filius intellectus **454** Spiritus voluntas, non dico quomodo intelligatur, non audeo. Servemus majora sapienter infirmis infirmi quid possumus? Non ista Trinitati velut æquanda, quasi ad analogiam ad rationem quamdam comparationis diriger hoc dico, sed quid dico? Ecce in te invenisse inseparabiliter demonstrata, inseparabiliter et eorum trium unumquodque nomen a trinitate, quod tamen non ad tria, sed ad trium unum aliquid pertineret. » Ecce quo sensu Augustinus demonstrat intelligi debere superscriptionem sui sermonis, qui inscribitur *de una Trinitate, trinaque unitate*. Simili sensu et in *duabus Animabus* adhuc presbyter scripsit: « Tria unitas quam catholica Ecclesia colit, intelligi, sicut et ipse intellexit, ut unitas substantia, trinitas in personis. Quem librum decimo quarto loco Retractationum librorum se scripsisse commemorat: et in vi quinto loco librum *de diversis Quæstionibus*, octoginta tribus, se egisse demonstrat, in quadragesimo primo loco, librum *de Trinitate* multo tempore et multo labore, multaque exertione composuit, se scripsisse demonstrat. In libro Quæstionum octoginta trium capitulo vi quarto, de Trinitate substantiæ ac deitatis quod sibi ad dicendum probabilius et tutius fuit, Verum et de hac quæstione in præfatione tractationum libro scribit quod melius in libro de Trinitate postea inde tractaverit, in quo dicit quarto libri primi: « Omnes, inquit, tractatores hoc intenderunt secundum Scripturam docere, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus unius substantiæ inseparabili æqualitate distincti, sed non insinuent unitatem, ideoque non sint tres, sed unus. » Quod et per omnia et in omnibus, et in ceteris suis libris apertissime et constantissime nulla retractatione confirmat, et in præfatione tractationum librorum suorum dicit: « Quæcumque ista lecturi sunt, non me imitent, sed in melius proficientem. Invenio fortasse quomodo scribendo profecerim, quod opuscula mea ordine quo scripta sunt legere, ut possit, hoc opere quantum potuero curare, eundem ordinem noverit. » Et hoc sensu Presbyter episcopus urbis Romæ postulanti Childeberto per Rufinum virum magnificum, ut ei scriberet beatæ recordationis papæ Leonis tomum recedens scandalum suspicionis, quod de eo per Gallum rat disseminatum, a se purgaret, in sermone eidem regi directo (*Pelagii papæ ep. 16*) dicit: « Credo, inquit, in unum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum. » Et post pauca: « Hæc tres personas, sive tres subsistentias unius esse substantiæ, sive naturæ, unius virtutis, unius operationis

beatitudinis, atque unius potestatis, ut trina sit unitas et una sit Trinitas, juxta vocis Dominicæ veritatem **455** dicentis : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth. xviii, 19*). In nomine, inquit, non in nominibus, ut et unum Deum per indistinctum divinæ essentiæ nomen ostenderet, et personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret : quia dum tribus unum deitatis nomen est, æqualitas ostenditur personarum, et rursus æqualitas personarum nihil extraneum, nihil accidens in eis permittit intelligi : ita ut unusquisque eorum verus perfectusque sit Deus, et omnes tres simul unus, verus, perfectusque sit Deus : videlicet ut ex plenitudine divinitatis, nihil minus in singulis, nihil amplius intelligatur in tribus. » Et in his verbis, sicut et in suprascriptis beati Augustini sententiis, manifestissime pervidetur, quia deitas, quæ trinitatis est unitas, trina credi et dici non debet, sed propter inseparabilitatem et æqualitatem trium personarum, quæ unum sunt deitate, inseparabilis in eisdem singulis personis tota plena et perfecta credi et dici : ac præfato intellectu superscriptio sermonis sancti Augustini, sicut ipse exposuit, debet intelligi. Et quia de his verbis, quæ catholice a catholicis et intelliguntur et proferuntur, ab hæreticis, sicut et de pluribus sanctæ Scripturæ verbis, visa seri sunt scandala, orthodoxi doctores et magistri Ecclesiæ in totum taceri voluerunt trinam unitatem, sicut et trinam deitatem, et tres apud Latinos substantias, dicentes hoc modo : Trinitas appellatur quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi Trinitas, videlicet trium unitas, ut memoria, intelligentia, et voluntas, in quibus mens habet in se quamdam imaginem divinæ Trinitatis. Nam dum tria sunt, unum sunt, quia et singula in se manent, et omnia in omnibus, Pater igitur et Filius et Spiritus sanctus, Trinitas et unitas. Idem enim unum, idem et tria, unum propter majestatis communionem, tria propter personarum proprietatem. Nam alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, sed alius quidem non aliud, quia pariter simplex pariterque incommutabile bonum et coæternum. Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus : Filius solus de Patre est natus, ideo solus dicitur genitus : solus Spiritus sanctus de Patre et Filio procedit, ideo solus amborum nuncupatur Spiritus. Et in hac Trinitate alia sunt nomina appellativa, alia propria sunt. Propria sunt essentialia, ut Deus, Dominus, Omnipotens, Immutabilis, Immortalis, et inde propria, quia ipsam substantiam significant, quia unum sunt. Appellativa vero, Pater et Filius et Spiritus sanctus, ingenitus et genitus et procedens : eadem et relativa, quia ad se invicem referuntur. Cum enim dicitur Deus, essentia est, quia ad seipsum dicitur ; cum vero dicitur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, relative dicuntur, quia ad se invicem referuntur. Nam Pater non ad seipsum, sed ad Filium relative dicitur, quia est ei Filius : sic et Filius relative di-

citur, quia est ei Pater : sic et Spiritus sanctus relative dicitur, qui est Patris Filiique Spiritus. His enim appellationibus hoc significatur, **456** quod ad se invicem referuntur. Nam ipsa substantia qua unum sunt, proinde Trinitas in relativis personarum nominibus est. Deitas non triplicatur, sed in singularitate est, quia si triplicatur, deorum inducimus pluralitatem. Nomen autem deorum in angelis et sanctis hominibus ideo pluraliter dicitur, propter quod non sint merito æquales, de quibus Psalmus, *Ego dixi : Dii estis* (*Psal. lxxxvi, 6*) : de Patre autem et Filio et Spiritu sancto, propter unam et æqualem divinitatem, non nomen deorum, sed Dei esse ostenditur, sicut ait Apostolus : *Nobis tamen unus Deus* (*I Cor. viii, 6*) ; vel sicut voce divina dicitur : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut. vi, 4*), scilicet ut et Trinitas sit, et unus Dominus Deus sit. Fides apud Græcos de Trinitate hoc modo est : Una οὐσία, ac si dicat una natura, aut una essentia, tres hypostases, quod resonat in Latinum, vel tres personas, vel tres substantias. Nam Latinitas proprie non dicit de Deo nisi essentiam : substantiam vero non proprie dicit, sed abusive, quoniam vere substantia apud Græcos persona intelligitur, non natura. Et hinc sanctus Hieronymus scribens ad Damasum papam dicit (*epist. 57*) : « Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas : taceantur tres hypostases, si placet, et una teneatur : non bonæ suspicionis est, cum in eodem sensu verba dissentiant. Sufficiat nobis memorata credulitas : aut si rectum putatis tres hypostases cum interpretationibus suis debere nos dicere, non negamus ; sed mihi credite, venenum sub melle latet, transfiguravit se angelus Satanæ in angelum lucis. » Et paulo superius : « Et quomodo commune nomen essentiæ proprium sibi vindicat Deus ? Sed quia illa sola natura est perfecta, et in tribus personis deitas una subsistit, quæ est vere, et una natura est, quisquis tria esse, hoc est tres esse hypostases, id est usias, dicit, sub nomine pietatis tres naturas conatur asserere, et si ita est, cur ab Ario parietibus separamur perfidia copulati ? Jungatur cum beatitudine tua Ursicinus, cum Ambrosio societur Auxentius : absit hoc a Romana fide, sacrilegium tantum religiosa populorum corda non hauriant. » Et item aliquanto superius : « Clamamus, Si quis tres hypostases, aut tria enhypostata, id est tres subsistentes personas confitetur, anathema sit ; et quia vocabula non ediscimus, hæretici judicamur. Si quis autem hypostasim usiam intelligens, non in tribus personis unam hypostasim dicit, alienus a Christo est : et sub hac confessione vobiscum pariter cauterio unionis inurimur. Discernite si placet obsecro, non timebo tres hypostases dicere : si jubetis, condatur nova post Nicænam fides, et similibus verbis cum Arianis confiteamur orthodoxi. Tota sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim nisi usiam novit, et quisquam, rogo, ore sacrilego tres sub-

stantias prædicabit? Una est Dei et sola natura quæ vere est, id enim quod subsistit non habet aliunde, sed suum est: cætera quæ creata sunt, etiamsi videntur esse, non sunt, quia aliquando **457** non fuerunt, et potest rursus non esse quod non fuit. Deus solus qui æternus est, hoc est qui exordium non habet, essentiæ nomen vere tenet: idcirco et ad Moysen de rubo loquitur: *Ego sum qui sum* (*Exod. III, 14*), et rursus: *Qui est misit me* (*ibid.*). » Et Hilarius in libro de Synodis: « Has, inquit, similitudines, quæ non ex unitate naturæ sunt metuo. Vereor enim, fratres, Orientis hæreses in tempora singula pullulantes. Caventes quippe Arii veaniam, noluerunt viri catholici trinam dici a quolibet unitatem, sed unam sanctæ Trinitatis deitatem, divinitatem, naturam, essentialiam, atque substantiam. » In quo etiam dicto, quo una substantia prædicatur. Sabelliani insidias posuerunt, sicut item sanctus Hilarius in præfato libro de Synodis monstrat; « Multi, inquit, ex nobis fratres charissimi, ita unam substantiam Patris et Filii prædicant, ut videri possint non magis id pie quam impie prædicare. Habet enim hoc verbum in se et fidei conscientiam et fraudem paratam. Nam si secundum naturæ proprietatem ac similitudinem, ut similitudo non speciem solam asserat, sed genus teneat, religiose unam substantiam prædicamus, dummodo unam substantiam proprietatis similitudinem intelligamus, ut quod unum sunt, non singularem significet, sed æquales: æqualitatem dico, id est indifferentiam similitudinis, ut similitudo habeatur æqualitas. Æqualitas vero unum idcirco dicitur esse, quia par sit: unum autem in quo par significatur, non ad unicum vindicetur. Una igitur substantia, si non personam subsistentem perimat, nec unam substantiam partitam in duos dividat, religiose prædicabitur, quæ ex nativitatis proprietate et ex naturæ similitudine ita indifferens sit, ut una dicatur. At vero si idcirco unius substantiæ Pater et Filius dicatur, ut hic subsistens sub significatione licet duorum nominum unus ac solus sit, confessum nomine Filium conscientia non tenemus, si unam substantiam confidentes, ipsum sibi unicum ac singularem et Patrem esse dicimus et Filium. » Et post aliquanta: « caret igitur, fratres, similitudo naturæ contumeliæ suspicionem, nec potest videri Filius idcirco in proprietate paternæ naturæ non esse quia similis est, cum similitudo nulla sit nisi ex æqualitate naturæ: æqualitas autem naturæ non potest esse nisi una sit, una vero non unitate personæ, sed generis. Hæc fides pia est, hæc conscientia religiosa, hic salutaris sermo est. unam substantiam Patris et Filii idcirco non negare quia similis est, similem vero ob id prædicare quia unum sunt. Exposita, charissimi, unius substantiæ, quæ Græco *ὁμοουσιον* dicitur, et similis substantiæ, quæ *ὁμοιούσιον* appellatur, fideli ac pia intelligentia et vitis, quæ ex verborum vel brevitate subdola vel periculosa nuditate accedere possent, absolutissime demonstratis, reliquus mihi sermo ad sanctos viros

A Orientales episcopos dirigendus est, ut quia si fide nostra nihil inter nos suspicionis relictur ea quæ adhuc in suspensionem ex verbis veniuntur. » **458** Propter has ergo fraudulentum laqueorum scandala, quæ Ariani in sancta Trinitatis unitati detrahentes, et Sabelliani personæ proprietati derogantes, rectis sensibus iuxta ponebant, Patres et magistri nostri, viri catholici doctores ac rectores Ecclesiæ, quia sicut scribitur: *Pertransibunt plurimi et multiplex erit sedes* (*Dan. XII, 4*), unum Deum Patrem, et Filium Spiritum sanctum, videlicet Trinitatem, *ὁμοουσιον* est unius substantiæ, vel consubstantialiam, et parabilem atque individuam, potius quam unitatem et unam Trinitatem, dicere et scribisque posteris dicendam et scribendam decedo tradere maluerunt: ne dicendo trinam unitatem eidem unitati numerum qui in trina est apponere eandem unitatem numerabilem facere, et ut ad deitatem, id est Trinitatis unitatem dividere rentur, ut ex præmissis verbis sancti Hieronymi in hoc opusculo ex epistola Gregorii papæ ad Iudicum Spalensem episcopum (*lib. 1, ep. 41*), in parte in suo loco positam lector sagax inveni qui volet valet colligere: et unam Trinitatem decedo, proprietatem trium personarum in eadem et inseparabili Trinitate auferri, ut Sabellianum lumniarentur, sicut ex præcedentibus verbis Hilarii qui advertit potest cognoscere. Unde et ipse sanctus Augustinus, ejus sermo de unitate trinaque unitate dicitur titulatus, in libro primo de Trinitate, ac si unguis censorio, sicut de titis aliis fecerat, scribit (*cap. 6*): « Nec sic inquit Trinitatem dicimus tres personas vel subsistentiam unam essentialiam et unum Deum, tanquam ex materia tria quædam subsistant, etiam si quia illud est in his tribus explicatum sit, non enim quid aliud ejus essentiæ est præter istam Trinitatem. Tamen tres personas ejusdem essentiæ tres personas unam essentialiam dicimus, tres a personas ex eadem essentialia non dicimus; aliud ibi sit quod essentialia est, aliud quod persona. Et in libro decimo quinto (*cap. 7*): « Nunquid sumus dicere Trinitatem esse in Deo, ut alius Dei sit nec ipsa sit Deus? nullatenus. Sed Trinitas illa nihil aliud est tota quam Deus, nihil aliud tota quam Trinitas, nec aliquid ad naturam Deum pertinet, quod ad illam non pertineat Trinitatem. Tres illæ personæ sunt unius substantiæ, unius essentiæ, viamque regiam atque tutissimam induit hujus sanctæ Trinitatis intellectu, inter in horum latronum, Arianorum scilicet et Sabellianorum, tenendam atque terendam. Et beatus Augustinus, sicut supra ostendimus, et sanctus Augustinus in libro ad Laurentium papam de Symbolo similiter monstrat, dicens: « Hæc est, inquit, Trinitas ubique latens et ubique apparens, vocabulis pennisque discreta, inseparabilis substantia deitatis. Et in sermone de Spiritu sancto, quod eja

substantiæ atque deitatis cujus est Pater et Filius : « Ipse, inquit, Dominus noster Jesus Christus, cum jam glorificatus resurrexit a mortuis, in cœlum ascensus ad Patrem hoc sacramentum fidei discipulis, id est apostolis, dereliquit. **H**ic enim : *Euntes, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandari vobis* (*Matth. xxviii, 19, 20*). Rerum ipsarum dictat effectus, ut trium in una deitate personarum potentiam credamus. » Et in sermone de mysterio baptismatis : « Nemo, inquit, cum audit Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, tres Deos nos æstimet confiteri, quod sacrilegium absit longe a fide nostra, quia unum Deum esse ipso attestante cognovimus : *Ego, inquit, Deus, et non alius præter me, justus et salvator non est præter me. Convertimini ad me, et salvi eritis, quia ab extremo terræ ego sum Deus, et non est alius præter me* (*Isa. xlv, 21, 22*), Et in alio libro : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut. vi, 4*). Et rursus : *Dominus Deus hic est in cœlo sursum, et in terra deorsum, et non est alius præter ipsum* (*Deut. iv, 39*). Tres ergo personas tenemus et credimus, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unius potentiæ, unius substantiæ, unius æternitatis, unius voluntatis, unius etiam deitatis, et totam Trinitatem unius Dei appellatione veneremur. Credere autem plures Deos gentilis impietas est. » Et iterum : « Non credere tres personas unius substantiæ in una deitate, atque æqualitate vel cœternitate, hæretica dementia est, cum manifesta hæc sit quam diximus auctoritas Christi, *Baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*. » Et item Augustinus in libro quinto (*cap. 8*) de Trinitate dicit : « Illud vero præcipue tenendum est, quod quidquid ad se dicitur præstantissima illa ac divina sublimitas, substantialiter dicitur : quod autem ad aliquid, non substantialiter sed relative ; tantamque vim esse ejusdem substantiæ in Patre et Filio et Spiritu sancto, ut quidquid de singulis ad seipsum dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. » Et item in libro quinto (*cap. 10*) : « Deo non est aliquid majus. Ea igitur magnitudine magnus est, qua ipse est eadem magnitudo : et ideo sicut non dicimus tres essentias, sic nec tres magnitudines. Hoc et de bonitate, et de æternitate, et de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino prædicamentis quæ de Deo possunt pronuntiarī, quod ad seipsum dicitur. » Et in libro sexto (*cap. 4*) : « Deo hoc est esse quod est omnipotentem esse, aut justum esse, aut sapientem esse, et si quid de illa simplici multiplicitate, et multiplici simplicitate dixeris, quo substantia ejus significetur. » Et in libro octavo : « Pater igitur et Filius una essentia, et una magnitudo, et una veritas, et una sapientia, a quibus non separetur Spiritus sanctus, de quo dicit Filius in Evangelio : *Ego rogabo Patrem et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis* (*Joan. xiv, 16*). Et

A Dominus dicit in Evangelio : *Ego sum veritas* (*ibid., 6*). In Deo igitur substantiale nomen est Veritas. Et quis magis est, ut Augustinus libro quinto (*cap. 2*) de Trinitate dicit, quam ille qui dixit famulo suo : *Ego sum qui sum, et 460 dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos?* (*Exod. iii, 14.*) » Non ergo trina veritas, ut impostor verbis B. Augustini interposuit, sed una veritas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, quia substantia dividi non potest. Sicut in eodem libro contra quinque hostium genera idem B. Augustinus dicit : « Æternitas una est atque substantia. » Et in libro sexto de Trinitate (*cap. 7*) : « Eteadem Dei est bonitas quæ sapientia et magnitudo, et eadem veritas quæ illa omnia, et non est ibi aliud beatum esse, et aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse. »
B Ergo ut non trina essentia, vel trina natura, ita non trina deitas, nec trina veritas est. » Et Boetius, in libro ad Joannem Romanum diaconum, postea autem episcopum, quem beatus Gregorius in libro Dialogorum persecutione Theodorici regis Ariani martyrio glorificatum esse ostendit, ex verbis beati Augustini sicut ipse fatetur, dicit : « Una igitur substantia trium, nec separari ullo modo aut disjungi potest, nec velut partibus in unum conjuncta est, sed est una simpliciter. Quæcunque igitur de divina substantia prædicantur, ea tribus oportet esse communia. » Et paulo post : « Si igitur eorum una deitas una substantia est, licet Dei nomen de divinitate substantialiter prædicari : ita Pater, veritas est, Filius veritas est, Spiritus sanctus veritas est, Pater, Filius, Spiritus sanctus non tres veritates, sed una veritas est. Si igitur una in his substantia, una est veritas, necesse est veritatem substantialiter prædicari de bonitate, de incommutabilitate, de justitia, de omnipotentia, ac de cæteris omnibus, quæ tam de singulis, quam de omnibus singulariter prædicamus, manifestum est substantialiter dici. » Et iterum : « Nam qui Pater est, hoc vocabulum non transmittit ad Filium, neque ad Spiritum sanctum. Quo fit ut non sit substantiale nomen hoc inditum. Nam si substantiale esset, ut Deus, ut veritas, ut justitia, ut ipsa quoque substantia, de cæteris diceretur. Item Filius solus hoc recipit nomen, neque enim cum aliis jungitur, sicut in cæteris quæ superius dixi. Spiritus quoque sanctus non est idem qui Pater ac Filius. Ex his igitur intelligimus, Patrem et Filium ac Spiritum sanctum non de ipsa divinitate substantialiter dici, sed alio quodam modo. Si enim substantialiter prædicaretur, et de singulis et de omnibus singulariter diceretur. Hæc vero ad aliquid dici manifestum est. » Et paulo post : « Trinitas quidem in personarum pluralitate consistit, unitas vero in substantiæ simplicitate. » Et item : « Trinitas igitur non pertinet ad substantiam : quo fit, ut neque Pater, neque Filius, neque Spiritus sanctus, neque Trinitas de Deo substantialiter prædicetur, sed ut dictum est ad aliquid. Deus vero, veritas, justitia, bonitas, omnipotentia, substantia, immutabilitas, virtus, sapien-

tia, et quidquid hujusmodi excogitari potest, substantialiter de divinitate dicuntur.» Et item de Trinitate (ad Sym.): «Substantia continet unitatem, relatio multiplicat trinitatem.» Et item: «Quoniam vero Pater 461 Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, Deus vero nullas habet differentias quibus differat a Deo, a nullo eorum differt. Differentiæ vero ubi absunt, abest pluralitas: ubi abest pluralitas, adest unitas.» Et item: «Ubi vero nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas, quare nec numerus, igitur unitas tantum.» Et item: «Non igitur si de Patre ac Filio et Spiritu sancto tertio prædicatur Deus, idcirco trina prædicatio numerum facit. Hoc enim illis, ut dictum est, imminet, qui inter eos distantiam faciunt meritorum: catholicis vero nihil in differentia constituentibus, ipsamque formam ut est esse ponentibus, neque aliud esse quam est ipsum quod est opinantibus, recte repetitio de eodem, quam enumeratio diversi, videtur esse cum dicitur Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, atque hæc Trinitas unus Deus.» Et Ambrosius in libro primo de Spiritu sancto (cap. 15): «Veritas Christus, veritas Spiritus. Habes enim in epistola Joannis: *Quoniam Spiritus est veritas* (I Joan. v, 6). Non solum ergo veritatis, sed etiam veritas dicitur Spiritus, sicut et Filius veritas prædicatur, qui ait: *Ego sum via, et veritas, et vita* (Joan. xiv, 6). Unum sunt ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus: unum nomen est Trinitatis, et una inseparabilisque essentia.» Et in libro primo de Fide (lib. 1, cap. 7): «Credo quia a Deo exivit Filius, ut ipse testatur dicens: *Ex Deo processi et veni* (Joan. viii, 42). Et alibi: *A Deo exivi* (Joan. xvi, 27). Qui ex Deo processit, et a Deo exivit, nihil aliud potest habere nisi quod Dei est. Unde non solum Deus, sed etiam verus Deus, verus a vero, et adeo verus, ut ipse sit veritas. Ita si nomen quærimus, veritas est, si majestatem quærimus naturalem, eo usque Filius Deus verus est, ut et proprius. Scriptum est enim: *Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (Rom. viii, 32). Tradidit utique secundum carnem. Proprietas divinitatis est veritas proprietatis, misericordia pietatis, oblatio securitatis.» Non igitur constare potest, quod per fraudem mendaciter interpositum est in verbis beati Augustini, trina veritas, sicut et Boetius in præfato libro demonstrat dicens (ad Joan. diac.): «Substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem.» Quam Trinitatis substantiam ostendit Ambrosius cantans in hymno catholico: *Tu Trinitatis unitas*. Quamque veluti exponens Augustinus dicit in libro primo de Trinitate: «Deitas quæ Trinitatis est unitas.» Cui etiam concordat beatus Ambrosius in alio hymno dicens:

O lux beata Trinitas,
Et principalis unitas.

Sed et illud quod in eadem compilatione interpositum est, trina et una unitas constare non potest, de-

monstrante beato Ambrosio in libro primo de Fide capite secundo, ubi dicit: «Est plenitudo divinitatis in Patre, est plenitudo divinitatis in Filio, sed non discrepans sed una divinitas, nec confusum quod unum est, nec multiplex quod indifferens est. Etenim si omnium *credentium*, sicut scriptum est, *erat anima una et cor unum* (Act. iv, 32); si omnes *qui adhærent Domino*, 462 *unus Spiritus est* (I Cor. vi, 17); ut Apostolus dixit, si vir et uxor in carne una sunt (Matth. xix, 5); si omnes homines, quantum ad naturam pertinet, unius substantiæ sumus; si hoc de humanis Scriptura dicit: *Quia multi unum sunt* (I Cor. x, 17), quorum nulla potest esse cum divinis comparatio: quanto magis Pater et Filius divinitate unum sunt, ubi nec substantiæ nec voluntatis ulla est differentia? Namque aliter quomodo unum Deum dicimus? diversitas plures facit, unitas potestatis excludit numeri quantitatem, quia unitas numerus non est, sed hæc omnium principum est.» Et Boetius in suprascripto libro (De Trinitate, ad Sym.): «Ubi, inquit, nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas, quare nec numerus, igitur unitas tantum.» Et item idem: «Etenim unum res est, unitas qua unum dicimus.» Et Arithmetici dicunt: «Unum semen numeri esse, non numerum, et simplices numeros, qui nullam partem aliam habent nisi solam unitatem, ut ternarius solam tertiam, quaternarius solam quartam, septenarius solam septenam, his enim una pars sola est.» Et item Ambrosius in præfato primo libro dicit (cap. 2): «Necesse est negent Ariani aut Patris aut Filii divinitatem, nisi ejusdem divinitatis crediderint unitatem.» Et item: «Operationis unitas non facit pluralem divinitatem.» Et item: «Quæ enim potest esse alia æstimatio, ubi deitatis unitas est?» Et item: «Aderat in specie angeli, qui muniebat, ut in numero Trinitatis unius esset laudatio potestatis.» Et hinc plurima testimonia in ejusdem libris reperiuntur, quæ ostendunt non posse in Deo catholice dici trinam unitatem, trinamque deitatem, trinam naturam, trinam substantiam: quia unitas, deitas, natura, substantia, in Deo pluralitate caret, et numero qui in trina et in Trinitate est. Et quod in eadem falsa interpositione habetur una unitas, quod ibidem dicitur trina veritas, et trina unitas destruitur, quia quando dicitur unum vel una, si non dicatur quid unum vel quid una, intelligatur una substantia, et substantiæ unitas non habet pluralitatem, quare nec numerum, qui in trina et in Trinitate est. Unde Augustinus in tractatu psalmi trigesimi octavi exponens sententiam Apostoli: *Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens* (Philip. iii, 13). «Unum, inquit, hoc est illud unum: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (Joan. xiv, 8). Unum autem, quæ et una dicitur in alio psalmo: *Unam petii Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ* (Psal. xxvi, 4). Propter quid? ut contempler delectationem Domini.» Et in libro contra Maximinum; legimus enim: «*Qui plures et qui rigat unum sunt* (I Cor. iii, 8), sed ambo ho-

mines erant, ejusdem substantiæ fuerant, non diverse. » Item legimus, ipso Christo dicente : *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus* (Joan. xvii, 21). Non dixit, ut ipsi et nos unum, sed ut ipsi sint unum in natura sua et in substantia sua, concordia qualitate quodam modo unici et confati : et Pater et Filius et Spiritus sanctus unum propter individuam eandemque naturam. Aliud est enim unum sunt, et aliud unum sumus : aliud unus est. Quando dicitur unum sunt, etsi non dicatur quid unum, intelligitur una substantia : quando dicitur unus est de duabus diversis substantiis, necesse est ut quæretur quid unus. Verbi gratia, diversa substantia est anima et corpus, tamen unus homo : diversa substantia est spiritus hominis et spiritus Dei, tamen cum Domino adhæret, unus spiritus est. Addidit spiritus, non dixit unum sunt : ubi autem dicitur unum sunt, una substantia significatur. Sic et cum dicit Apostolus : *Scimus quia nihil est idolum* (I Cor. viii, 4) : Et, *Quod nullus Deus nisi unus. Nam etsi sunt qui dicuntur dii multi, et domini multi, sive in cælo, sive in terra, nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia et nos in illum, unus Dominus Jesus Christus per quem omnia et nos per illum* (ibid., 4, 5, 6), addendū quis vel quid unus. Cum dicit *unus Deus Pater, et unus Dominus Jesus*, personas distinxit nominando Patrem et Filium, substantiam unam ostendit cum *Deus* dicit. Unde alibi loquens trinitatem personarum unius deitatis demonstrat cum dicit, *Ex ipso*, videlicet ex Patre, *per ipsum*, per Filium, *in ipso*, scilicet in Spiritu sancto, *sunt omnia, ipsi gloria* (Rom. xi, 36), et non ipsis gloria subjunxit : quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti : sed in deitate unitas creditur et prædicatur, quia Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Impostor vero falsitatis, et verbis sancti Augustini insultator, quiscunque ille fuerit, non ausus aperte imponere trina et una deitas, ne perciperetur, immisit quod tantumdem valeret, quatenus per substantiale nomen, quod est veritas, dicendo trina et una veritas, cum Pater et Filius et Spiritus sanctus, ut Augustinus dicit, non tres veritates, nec trina veritas, sed una sint veritas, sicut una essentia, et una vita : et addendo trina et una unitas, probare posset quod dici deberet trina et una deitas. Et noluit mittere Gothescalci verba, ut diceret deitas trina est personaliter, et una naturaliter, ne recognoscerentur, et ex eo respuerentur. Immisit tamen absolute trina et una unitas, ne sua verba a Gothescalci verbis sensu discordarent. Sed, ut scriptum est : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum* (Prov. i, 17). Videtur namque fraus sacrilega, ut patenter ostensum est et adhuc ostendetur, quia non solum ratione et auctoritate, verum et sua ipsa impugnatione interpositio ista destruitur. Ratione quippe, quia, ut Augustinus dicit, deitas Trinitatis est unitas, et unitas qua tres personæ unum sunt trina esse non potest. Natura enim, deitate, id est

A essentia, tres personæ unum, id est unus Deus, sunt, et non una persona Pater et Filius et Spiritus sanctus. Auctoritate quidem, quia ut Boetius in libro De Trinitate dicit : « In numero quo numeramus repetitio unitatum facit pluralitatem : in rerum vero numero non facit pluralitatem unitatum repetitio, veluti cum Pater et Filius et Spiritus sanctus tertio prædicatur Deus. » Et item : « Unum res est, unitas quo unum dicimus. » Et Ambrosius in libro primo de Fide (cap. 2) : « Unitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est. » Sua quoque impugnatione interpositio ista destruit quæ dicit trina et una unitas, quia unitas in eo quo una est trina esse non potest, sicut Trinitas in eo quo trina est una esse non potest. Trinitas scilicet in personis una esse non potest, sicut Sabellius voluit : et unitas Trinitatis, id est deitas, trina esse non potest, sicut Arius dixit. Fides autem catholica est, ut Athanasius sentit, et omnis catholicorum unanimitas consentit, ut unum Deum in trinitate personarum contra Sabellium, et trinitatem personarum in unitate deitatis, contra Arium veneremur : neque confundentes personas, ut Sabellius, quasi tres non sint, neque substantiam separantes, ut Arius, quasi trina sit. Unde si quod impostor inconvenienter posuit una unitas etiam sic intelligatur, quoniam aliter recte non potest intelligi, quia est super omnia in quibus unitas dici potest, in tribus sanctæ Trinitatis personis Patris et Filii et Spiritus sancti una id est singularis est unitas, quorum est una divinitas, vel si expressius dicitur deitas, destruit quod ante positum est, ut trina sit unitas, id est Patris et Filii et Spiritus sancti deitas, quæ Trinitatis est unitas. Exterminandum est igitur pravum dogma, et sequendum quod docent catholici, quia Trinitas Pater et Filius et Spiritus sanctus ad aliquid, id est relative dicuntur, unde et pluralitas est in personis ; veritas vero, essentia, deitas, quæ, ut Augustinus dicit : Trinitatis est unitas, de Deo ad se id est substantialiter ac per hoc singulariter dicitur, et unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, in eo quo trinus est, unus non dicitur, et in eo quo unus est, trinus non dicitur. Sed ut beatus cantat Ambrosius : Unus est potentialiter, id est substantialiter, sicut Augustinus dicit, et trinus personaliter. Manifestum et manifestatum est ergo compilatum, et adulteratum atque falsatum esse librum beati Augustini contra quinque hostium genera, in quo hæc hæretica pravitas a quocunque falsatoris interposita comprobatur : sicut in quinta synodo orthodoxorum libris quædam testimonia ab hæreticis ad suam confirmandam pravitatem detruncata, et quædam falsa catholicis catholicorum verbis interposita fuisse vigilantia catholicorum detexit. Sic enim deprehensum Macarium Antiochenum episcopum in sexta synodo legimus : sic Donatus, ut Augustinus in libro Retractationum dicit, de sententia *Qui baptizat a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus* (Eccli. xxxiv, 30), ad suam con-

firmendam hæresim, et iterum tangit illum subtraxit; et Ariani de Evangelio eraserunt quod Salvator ait: *Quia Deus Spiritus est* (Joan. iv, 24). Nolebant enim credere quod Spiritus sanctus Deus esset omnipotens. Sic et illi qui ex Deo non erant, et pravo dogmate separare volebant ab hominis dispensatione divinitatem Christi, versiculum quo dicitur, *et omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est* (I Joan. iv, 3), ex epistola Joannis eraserunt, ne per auctoritatem ejus convincerentur erroris.

465 Denique Nestorius nescire se prodidit hanc authenticis exemplaribus inditam fuisse sententiam, atque ideo solvere non timuit Jesum, ac se pro hoc reddere extraneum, dicens beatam virginem Mariam non Dei sed hominis tantum exstitisse genitricem, ut aliam personam hominis, aliam faceret deitatis, neque unum Christum in Verbo Dei et carne atque anima credens, sed separatim alterum Filium Dei alterum hominis prædicans. Et Felix Orgellitanæ quondam civitatis episcopus infelix, in libro beati Hilarii, ubi idem sanctus dixerat: « Carnis humilitas adoratur, » tempore Caroli Magni imperatoris, quoscunque hinc codices arripere potuit, in omnibus adulteravit, carnis humilitas adoptatur, ut quia per veritatem non poterat, de mendacio suam astipularetur sententiam. Sic et iste adulterator verborum beati Augustini, juxta quod scriptum est, *Qui a semetipso loquitur propriam gloriam quærit* (Joan. vii, 18), de proprio mendacium, ut gloriari posset adversus veritatem, veritati inseruit: quomodo Gothescalcus veritatem quantum ex ipso est in mendacium commutavit, trina pro ter vel Trinitatis deitate, in sextæ synodi edicto immutans. Nam et si ita ut ab eo adulteratum credimus, ex Græca interpretatione in eodem haberetur edicto, vel si in aliis libris vetustis ita ab aliquibus haberi contenditur, nec sic quiddam suffragii ex hoc Gothescalci vel ejus complicum adinventio potestur, quia Græcitas idioma e suæ linguæ quædam recte potest efferre, quæ Latina lingua maxime de his quæ pertinent ad fidem non recipit. Nam in sancta Trinitate Patris et Filii et Spiritus sancti Græci unam dicunt essentiam et tres suas substantias, pro subsistentiis, id est personis, quod Latina lingua non recipit, et interpretatio ex verbo ad verbum, sicut sæpe propriam consonantiam perdere, ita intelligentia solet carere, et sensum fidei perturbare. Unde etiam potest fieri, ut interpretatio ipsius edicti, verbum ex verbo interpretans, sanum sensum interpretatus non fuerit. Nos autem, ut Leo scribit ad Rusticum Narbonensem episcopum (*epist. 95, in præm.*) id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inveniatur adversum, quibus unam eandemque deitatem plenam atque perfectam in tribus sanctæ et inseparabilis Trinitatis personis credere et confiteri debere accepimus. Quapropter damnationem prolatam ab eadem sacra sexta synodo Gothescalcum incurrisse atque perferre nullatenus dubitamus, quam præfata sancta synodus judicio

sancti Spiritus omnibus contra illa quæ divinis inspirata decreverat sentientibus intulit (*synod. act. 18, in fine*): « Ilis inquit cum omni una cautela atque diligentia a nobis formatis, diffiniamus aliam fidem nulli licere proferre, aut conscribere, componere, aut sapere, vel etiam aliter de Quis vero præsumpserint fidem alteram, vel contere, vel proferre, vel docere, vel tradere, symbolum volentibus converti ad agnitionem veritatis, ex gentilitate, vel ex Judaismo, aut a qualibet hæresi, aut qui novitatem vocis, vel nominis ad inventionem, ad subversionem eorum nunc a nobis determinata sunt introducere, si quidem episcopi fuerint aut clerici, alienos episcopos ab episcopatu, clericos vero a clericali autem monachi fuerint aut laici, anathematizari. Et subscripserunt centum quinquaginta episcopi. Deinde prosequitur Gothescalcus.

III.

÷ « Sic enim dicta est a Prospero trina majestas. Prudentio trina pietas, ab Aratore bis trina potestas sic et a Græcis τρισύγιον, a Latinis autem proprie, regulariter, atque catholice, trinitas: ac per hoc sicut ab eis catholicissime δεισιθεωσία, sic et a nobis catholicissime deitas. »

XP. Quod ad testimonium suæ assertionis quoniam Arator trinam potestatem, et Prudentio trinam pietatem dicunt metri necessitate, quæ præjudicat liberæ fidei simplicitati, Augustinus, Athanasius, atque Boetius, sicut in hoc opere dictis illorum lector inveniet, contradicunt. Et idem Prudentius scribit:

Per Christum genitum, summe Pater, tuum,
Per quem splendor, honor, laus, sapientia,
Majestas, bonitas, et pietas tua,
Regnum continuat numine triplici,

vel sicut in quibusdam codicibus invenitur, *triplici*. Quod sanctus Ambrosius, videlicet qui numen, nec nomen, in Deo qui trinus est in per et unus in deitate, trinum vel triplex dici debet initio primi libri (*cap. 1*) de Fide refutat dicit: « Dominus, inquit, et Deus, vel quod dominus omnibus, vel quod spectet omnia, et timeatur a cunctis. Si ergo unus Deus, unum nomen potestas, una est trinitas. Denique dicit: *Ita dantes in nomine Patris et Filii et Spiritus* (*Matth. xxviii, 19*). In nomine utique, non in nobis, ut unius esse Trinitatem potestatis ostendat. Et item (*cap. 2*): « Nos Patrem et Filium et Spiritum sanctum confitemur, ita ut in Trinitate perfecta plenitudo divinitatis sit, et unitas potestatis. » tantumdem valet, ac si diceret: unitas numinis sanctus Augustinus in libro sexto (*cap. 8*) de Trinitate dicit: « Cum tantus sit solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est Pater et Filius et Spiritus sanctus, nullo modo triplex dicendus est, quia non est quo crescat perfectio, perfectus autem sive Pater, sive F

sive Spiritus sanctus, et ideo Trinitas potius quam triplex dicenda est. » Verum et ipse Prudentius, fortasse metri lege coactus, ad demonstrandum tres personas unius substantiæ alibi scribit dicens :

Est tria summa Deus, trinum specimen, vigor unus

Sed quoniam, ut Priscianus dicit, a specie ducitur specimen, in Deo trinum specimen catholice non potest dici, ut Augustinus in libro septimo (cap. 6) de Trinitate dicit « quia non sunt tres species unius essentiæ, Pater et Filius et Spiritus sanctus. » Sed et Gothescalcus testimonium beati Hieronymi, ut compilationis suæ dicta confirmaret, ex Commentario ipsius in Matthæi Evangelio hoc modo contra se protulit dicens : « Mulierem istam Ecclesiam interpretantur, quæ fidem hominis farinæ satis tribus commiscuerit, credulitatem Patris et Filii et Spiritus sancti, cumque in unum fuerit fermentata, non nos ad triplicem Deum, sed ad unius divinitatis perducit notitiam ; farinæ quoque sata tria, dum non est in singulis diversa natura, ad unitatem trahunt substantiæ. » Et item : « Baptizantur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, uti quorum est una divinitas, sit una largitio et nomen, quia Trinitas unus Deus est. » In libris quoque beati Prosperi unam Trinitatis deitatem, essentialiter, atque substantiam, et naturam, majestatem quoque, et potestatem, et unum lumen, unumque principium frequentissime legimus. Ait enim in libro sententiarum (sent. 324) : « Quod Pater cum Christo facit, Christus facit, et quod Christus cum Patre facit, Pater facit, nec scorsim aliquid agit inseparabilis charitas, majestas, potestas, sicut ipse Dominus dicit : *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). » Et item (sent. 227) : in Trinitate divina tanta est substantiæ unitas, ut æqualitatem teneat, pluralitatem non recipiat. » Et item : « In Patre et Filio et Spiritu sancto æterna et incommutabilis unitas manet, ubi indifferens Trinitas unum Deus est, unum lumen, unum principium. » Et in libro Epigrammatum (epig. 3) : « Vera æternitas et vera immortalitas non est, nisi in deitate Trinitatis, cui quod est esse perfectum est.

Hoc pater, hoc Verbum Patris, hoc et Spiritus almus
Quorum natura est una eademque trium. »

Et item (epig. 55) : Nulla differentia est in deitate Trinitatis, quoniam quod Deo minus est, Deus non est.

Fatura omnipotens una est, quæ cuncta creavit,
Et proprie quod sunt omnibus esse dedit
Quodque Deo minus est, non est Deus, a Patre natum
Verbum, et qui amborum Spiritus est, Deus est,
Una eademque trium quoniam est essentia, quæ se
Nunquam vel major vel minor esse potest.

Et item (epig. 64) :

Omnipotens genitor, natusque, et spiritus almus,
Una in personis par tribus est deitas.

Et item (epig. ult.) :

Una trium deitas, una est essentia, ab uno
Idem est et Verbi Spiritus atque Patris.

Quod dicit, dictum a Græcis τρισάγιον proprie et

regulariter atque catholice interpretatum, trina sanctitas, ac per hoc sic trina deitas, sicut trina sanctitas catholice debeat dici, non est verum. Sanctus quippe Quintianus Asculitanus episcopus ad Petrum Antiochenum 468 loquens de sancta Trinitate, τρισάγιον non trinum sanctum, sed ter sanctum, interpretatus est : et in offerenda missæ Græcorum compositæ a beato Basilio, in qua dicitur τρισάγιον ὕμνον, non trinum sanctum, sed ter sanctum hymnum sapientes interprete transtulerunt. Et aliquanto inferius Gothescalcus prava prævis superadjiciens, dicit :

IV.

« Claret omnino, quod ἄγλα τριάς, id est sancta Trinitas, sicut una essentialiter atque naturaliter, sic procul dubio est personaliter trina deitas, sicut scilicet sanctitas, majestas, pietas et potestas. »

XP. Hoc quod dictum est a Deo in creatione primi hominis, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1, 26), diabolus male interpretans, assumpta parabola, primis parentibus dixit : *Eritis sicut dii* (Gen. 111, 5). Quem secutus Arius, gradus in sancta Trinitate faciens contra præceptum Domini in lege dicentis : *Non ascendatis per gradus ad altare meum* (Exod. xx, 26), tres deitates in sancta Trinitate dogmatizavit. Nunc Gothescalcus e diverso unam deitatem in tribus personis sanctæ Trinitatis partitur dicens : « Sicut sancta Trinitas una est essentialiter atque naturaliter, sic procul dubio est personaliter trina deitas, quæ, ut catholici doctores dicunt, et verum est, Trinitatis est unitas, qua naturaliter unus Deus est Trinitas, quæ videlicet deitas si personaliter trina foret unitas Trinitatis, quod esse non potest, quia quod unum est in eo in quo unum est divisionem non recipit, in tribus personis divisa vel partita fuisset. Unum, inquit Boetius ex beati Augustini verbis, ut et ipse fatetur, res est unitas, quo unum dicimus, et ubi nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas, quare nec numerus, igitur unitas tantum ; nam quod tertio repetitur Deus cum Pater et Filius et Spiritus sanctus nuncupatur, tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsæ sunt, id est in deitate, essentia, atque natura. » Et Ambrosius in libro primo (cap. 2) de Fide : « Diversitas plures facit, unitas potestatis excludit numeri quantitatem, quia unitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est. » Unde sunt Arius atque Gothescalcus, juxta pœnam :

Ambo errore pares, quanquam diversa loquantur.

Si enim quando hic novus ariolus, perniciosior forte quam quilibet ariolus, dixit, sicut sancta Trinitas essentialiter atque naturaliter est una, subjunxisset sic personaliter est trina, constaret sententia. Quod autem subjunxit, *deitas personaliter est trina*, non solum contra catholicam fidem est, verum et hoc quod præmisit impugnat, sicut et præmissa subse-

quentia destruunt. Nam quod dixit, sicut sancta Trinitas essentialiter atque naturaliter est una, si ita intelligatur sicut debet intelligi, scilicet quia Trinitas una est essentia atque natura, id est deitate, Trinitatis videlicet unitate, personaliter deitas trina esse non potest, ac per hoc illud quod præmisit sancta Trinitas essentialiter atque naturaliter est una, destruit quod subjunxit, **469** deitas personaliter est trina, quod esse non potest, quoniam deitas id ipsum est quod substantia et natura, quæ semper una est, et trina esse non potest, quia deitas ut Athanasius, Ambrosius, et Augustinus dicunt, Trinitatis est unitas. Et quod subjunxit, *deitas personaliter est trina*, impugnat quod præmiserat : Trinitas essentialiter atque naturaliter est una. Non enim in eo quo una est Trinitas, id est in essentia atque natura, trina esse potest, sicut Arius dementavit : et in eo quo unus Deus Trinitas vel trinus dicitur, id est in personarum proprietate, non unus, sicut Sabellius blasphemavit, sed unum est, sicut Christus in Evangelio dicit. Contra quos cantat Ambrosius : « Deus unus potentialiter, trinusque personaliter. » Et Athanasius, « Fides catholica hæc est, ut unum Deum in trinitate personarum, et trinitatem personarum in unitate deitatis veneremur, neque confundentes personas ut tres non sint, neque substantias separantes, ut trina sit : quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, sed Patris, et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. » Et Augustinus in libro septimo de Trinitate (*cap. 6*) : « Sicut, inquit, substantia Patris ipse Pater est, non quo pater est, sed quo est, ita et persona Patris non aliud quam ipse Pater est. Ad se quippe dicitur persona, non ad Filium, vel ad Spiritum sanctum : sicut ad se dicitur Deus et magnus, et bonus, et justus, et si quid aliud hujusmodi. Et quemadmodum hoc illi est esse quod Deum esse, quod magnum esse, quod bonum esse, ita hoc illi est esse quod personam esse. Neque cum quislibet audierit Patrem solum Deum, separet inde Filium, aut Spiritum sanctum. Cum eo quippe solus Deus est, cum quo et unus Deus est : quia et Filium cum audivimus solum Deum, sine ulla separatione Patris et Spiritus sancti oportet accipere, sicut in Evangelio scriptum est : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan. x, 30*). Et unum dixit et sumus : unum secundum essentiam, quod idem Deus : sumus secundum relativum, quod ille Pater, hic Filius. » Propter quod etiam pluralem numerum admittunt. Cur ergo non hæc tria simul unam personam dicitur, sicut unam essentiam et unum Deum, sed dicimus tres personas, cum tres deos aut tres essentias non dicamus, nisi quia volumus vel unum aliquod vocabulum servire huic significationi qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interrogati quid tres, cum tres fateremur, quia tres in sancta Trinitate personæ relative dicuntur, quæ essentialiter, id est naturaliter, unum non unus sunt : quia una et non trina est deitas, divinitas, essentia,

substantia, et natura Patris et Filii et Spiritus sancti. Fides quippe catholica hæc est, ut unum Deum Trinitate personarum, et Trinitatem personarum unitate deitatis veneremur, neque confundentes personas, ut tres non sint, neque substantiam septem, ut trina sit ; quæ una substantia, id est deitas, quæ Trinitatis est unitas, etiam in personis non potest dividi ipsa separabilitate sua, **470** tres personarum Trinitatis personas ostendit esse, et invicem separari non posse, quia cujuslibet personæ nomen semper ad alteram respicit personam. Patrem dicis, Filium ostendis ; si Filium non Patrem prædicas ; si Spiritum sanctum applicas alicujus esse spiritum necesse est intelligas, Patris et Filii, quorum una eademque substantia id est deitas quæ Trinitatis est unitas, in singulis personis, et tota in tribus simul personis si rectius dicitur, ne putentur aliud esse in sancta Trinitate personæ, et aliud deitas, tota perfecta est deitas singulæ in sancta Trinitate personarum tota perfectaque, est deitas tres simul in sancta Trinitate personarum. Et idcirco inseparabilis est sancta Trinitas etiam in personis sensu intelligenda, quamvis in voce separabilia habeat nomina, pluralem numerum in naturæ nominibus nulla recipit. In personis namque Trinitas constat, in natura id est in deitate unitas, quæ dividi non potest, quoniam natura, id est deitas Trinitatis est una. Hoc enim vere inseparabile dicitur, quod nulla separationem potest recipere. Nam quod non separatur, sed separari potest, inseparabile non est. C

parabilis est ergo sancta Trinitas etiam in personis sensu intelligenda, quoniam Patris et Filii et Spiritus sancti non trina sed una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Mentitur igitur Gothicus ut solet, dicens :

V.

÷ « Quia sicut sancta Trinitas una essentialiter, et naturaliter, sic proculdubio est personaliter una deitas, sicut scilicet majestas, pietas, potentia. Quod refellit catholica fides, per omnium orthodoxorum ora prædicans et confirmans quia Trinitas ad personas Patris et Filii et Spiritus sancti fertur, unitas ad naturam æternæ deitatis pertinet. Unde Augustinus in libro septimo (*cap. 6*) de Trinitate dicit : « Hoc est Deo esse quod subsistit, ideo si una essentia Trinitas, una etiam substantia, et idcirco commodius dicuntur tres personæ, et tres substantiæ. Non enim aliud est Deo esse, personam esse, sed omnino idem : nam esse dicitur, persona vero relative, videlicet Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad Patrem et Filium, quorum est Spiritus, sicut idem deus exponit. » Et in libro xv (*cap. 22*) : « Aliud est ita Trinitas res ipsa, aliud imago Trinitatis in re alicuius. Tanta est enim in eo inseparabilitas, ut illa Trinitas Deus et dicatur et sit, nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus. Non igitur deitas personarum trina est, sed trium ad quas refertur trinitas personarum »

narum substantia una est, id est deitas : quæ, ut Augustinus in primo libro de Trinitate dicit, Trinitatis est unitas, scilicet qua est inseparabilis Trinitas, quoniam una eademque est tota in singulis, tota in tribus simul personis. Dicendum ergo est, sicut Augustinus dicit, Trinitas una essentia, et una substantia tres personæ, vel Trinitas 471 substantialiter unus Deus non sicut Gothescalcus absolute dicit, Trinitas essentialiter atque naturaliter est una, ne induci putetur personarum confusio, unde paulo superius quantum causa poposcit præmisimus. Nec in hoc etiam ullo modo sequendus est Gothescalcus, ut credatur vel dicatur deitas personaliter trina. Qui enim credit et dicit trinam personaliter deitatem, nihil differt ab Ario, ad cuius pravam intelligentiam refellendam, sancti catholici Patres, non humana adinventione, sed divina inspiratione, in sacro Nicæno concilio ὁμοδοσιον, id est consubstantialitatem, videlicet unam substantiam, essentiam, naturam, et deitatem trium personarum, Patris et Filii et Spiritus sancti, credi et teneri firmissime decreverunt, et ab hac regula deviantes anathematizaverunt. Gothescalcus autem mel plus comedere volens quam sufficit, id est plus sapere quam oporteat sapere, et scrutari majestatem ultra suæ infirmitatis capacitatem, hoc intelligentiæ dicto, sicut clausis oculis ad ignem, ita sciens et videre nolens in prave sentientium, Sabellii videlicet et Arii, quos cum nominat detestatur, et sensu cum disputat sequitur, sententias videtur currere cum suis complicibus, de quibus scriptum est : *Descendant in infernum viventes*, id est labantur in blasphemie peccatum scientes. Nam si deitas personaliter trina est, tres deitates ac per hoc tres dii erunt, aut una deitas in tribus personis erit partita, et jam Trinitas non inseparabilis, sed separata, et sicut in personis, ita et in substantia numerabilis erit, et in nulla de tribus personis deitas perfecta erit, sicque Deus, quod et stultum et nefas est dicere, imperfectus erit. Quapropter non ab re computamus, illum ipse spiritum nos per hujus, sicut et per Arii, os audire, qui per serpentem primis parentibus sibilavit, *Eritis sicut dii*. Contra cuius impietatem sanctus Augustinus in septimo libro (*cap. 6*) de sancta Trinitate inter alia dicit : « Nec sic ergo Trinitatem dicimus tres personas, vel subsistentias, unam essentiam et unum Deum, tanquam ex una materia tria quædam subsistant, etiamsi quidquid illud est in his tribus explicatum sit. Non enim aliud ejus essentia est præter istam Trinitatis. Tamen tres personas ejusdem essentia, vel tres personas unam essentiam dicimus : tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod personæ, sicut tres statuas ex eodem auro possumus dicere. Aliud enim illis est esse aurum, aliud esse statuas. Et cum dicantur tres homines una natura, vel tres homines ejusdem nature, possunt etiam dici tres homines ex eadem natura, quia ex eadem natura et alii tales homines

possunt existere. In illa vero essentia Trinitatis, nullo modo alia quælibet persona ex eadem essentia potest existere. Non enim major essentia est Pater et Filius simul, quam solus Pater aut Filius : sed tres simul illæ subsistentiæ, sive personæ, si ita dicendæ sunt, æquales sunt singuli, quod animalis homo non percipit ; » et reliqua quæ 472 latius ibidem idem sagacissimus doctor exsequitur. Et in sermone trigesimo sexto Evangelii secundum Joannem : « Trinitas unus Deus, Trinitas una est æternitas, una potestas, una majestas : quid ergo tres ? si enim tres ait, oportet dicas quid tres. Respondeo, Pater et Filius et Spiritus ; id enim quod Pater in se est Deus est, quod ad Filium est Pater est, quod Filius ad seipsum Deus est, quod ad Patrem est Filius est. » Et post paululum : « Non est quid dicam tres nisi Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum, unum omnipotentem, ergo unum principium. » Et in sermone trigesimo septimo : « Si enim quod pauci intelligunt, simplex est natura veritatis, hoc est filio esse, quod nosse. » Et in sermone quadragesimo quarto : « Ariani dicunt, aliud est Pater, aliud Filius, quasi non sint ejusdem substantiæ Pater et Filius. » In sermone quadragesimo quinto : « Si manum intelligamus potestatem, una est Patris et Filii potestas, quia una divinitas. » Et potest pauca : « Ergo nemo rapit de manu Patris mei, hoc est, nemo rapit mihi. » In sermone septuagesimo quarto : « Cum ergo sit omnino inseparabilis Trinitas, nunquam Trinitas esse sciretur, si semper inseparabiliter doceretur. Nam cum dicimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, non eos utique diceremus simul, cum ipsi non possint esse non simul. » In sermone octogesimo octavo : « Christus namque cum Patre et Spiritu sancto, non sunt tres dii, sed unus Deus, de quo scriptum est : *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus* (Psal. LXXI, 18). » In sermone nonagesimo primo : « Ubi eorum quilibet unus, Pater videlicet, Filius, aut Spiritus sanctus ibi Trinitas Deus unus. Oportebat autem ita insinuari Trinitatem, ut quamvis nulla esset diversitas substantiæ, singillatim tamen cæpit distinctio personarum, ubi eis qui recte credunt nunquam videri potest separatio naturarum. » Item in sermone nonagesimo secundo : « Sæpe autem diximus inseparabilia esse opera Trinitatis, sed singillatim commendandas fuisse personas, ut non solum sine separatione, verum etiam sine confusione, et unitas, intelligatur, et Trinitas. » Et magnus Leo papa contra hæreticos loquens ad Turibium Asturicensem episcopum dicit (*cap. 5*) : « Quod enim de Deo Patre est, hoc est quod ipse est, neque id aliud est quam Filius et Spiritus sanctus. Præter hanc autem summæ Trinitatis unam consubstantialem et sempiternam atque incommutabilem deitatem, nihil omnium creaturarum est, quod non in exordio sui ex nihilo creatum sit. » Et item (*cap. 17*) : « Ab eisdem, inquit, hæreticis, contra verum veri Dei cultum, Trinitas deitatis negata personarum proprietate confunditur. »

Et item sanctus Gregorius in sexta decima homilia A Ezechielis : « Isaias, inquit, audivit angelica agmina in cœlo clamantia : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth* (Isa. vi). Ut enim personarum Trinitas monstraretur, tertio Sanctus dicitur; sed ut una esse substantia Trinitatis appareat, non Domini sabaoth, sed Dominus esse perhibetur. Quod David quoque similiter sentiens 473 ait : *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus* (Psal. LXVI). Qui cum tertio dixisset Deum, ut unum hunc esse ostenderet, subdidit, *et metuant eum omnes fines terræ*. Paulus quoque loquitur dicens : *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (Rom. XI). Ex ipso videlicet ex Patre, per ipsum, per Filium, in ipso autem, in Spiritu sancto. Cum ergo ipsum tertio dixisset, adjunxit, *ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen*. Qui enim non dicit ipsis, sed ipsi : dicendo ter ipsum, distinxit personas, et subjungendo ipsi gloria, non divisit substantiam. » Et beatus Paulinus Aquileiensis patriarcha in libro contra Felicem : « Sancta, inquit, catholica atque apostolica Ecclesia, quæ licet in toto sit orbe terrarum diffusa, una tamen est amica sponsi, proxima et columba, quæ pennis deargentatis sacri eloquii refulget pulchritudine, et in pallore auri posteriora ejus per rectæ fidei puritatem clarescit, confitetur sanctam et ineffabilem Trinitatem in unitate. Salva scilicet inconfusibiliter proprietate personarum, inseparabilem substantiam confitetur. Ita sane ut alius credatur Pater, quia Pater est, qui genuit coæternum sibi sine tempore et omni initio Filium, et alius credatur Filius, quia Filius est, qui genitus est sine initio a Patre, non putative, sed vere, et alius credatur Spiritus sanctus, qui Spiritus sanctus est, et a Patre Filioque procedit : et non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, sed unum sunt inseparabiliter Pater et Filius et Spiritus sanctus. Non unus sed unum, quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti : sed una et æqualis, et consubstantialis, et coæterna est Patris, Filiique et Spiritus sancti inenarrabilis divinitatis majestas, quia unus est Deus. Unionem namque in essentia confitemur, trinitatem vero in personarum discretionem prædicamus. »

Et sanctus Alcuinus ex verbis beati Augustini in libro (*lib. 1 de Trin., cap. 8*) ad Carolum Magnum imperatorem dicit : « Quidquid, inquit, ad scipsum dicitur Deus, et de singulis personis dicitur, Patre et Filio et Spiritu sancto, et simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter dicendum est. Quoniam quippe non aliud est Deo esse, et aliud magnum esse, vel aliud esse, et aliud bonum esse, sed hoc idem illi est et esse et magnum esse, et esse et bonum esse, propterea sicut non dicimus tres deos, nec tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, nec tres bonitates, sed unum Deum, unam essentiam, et unam magnitudinem, et unam bonitatem. » Et quod Apostolus ait : *Christum Dei virtutem* (I Cor. I, 24), et *Dei sapientiam*, non ita in-

telligendum est, quod Pater dici non possit vel sapientia, sicut dei non potest Filius verbum, quia hæc relativa sunt nomina, illa vero est virtus et sapientia, substantialia sunt. Ideo virtus et sapientia, et Filius virtus et sapientia : Spiritus sanctus virtus et sapientia : non tres virtutes, nec tres sapientiæ, sed una virtus et sapientia, Pater et Filius et Spiritus sanctus una substantia et una omnipotentia, 474. quæ de substantia divinitatis dicuntur. Et ita ligatur Filius sapientia Patris, quomodo et lumen Patris, id est, ut quemadmodum lux lumine, et utrumque unum lumen, sic intelligitur sapientia de sapientia, et utrumque una sapientia quia in illa simplicitate divinæ naturæ non esse sapere quam esse, nec aliud esse quam posse aliud posse quam vivere. Eadem ibi sapientia essentia, eadem vita quæ et essentia, et hæc una substantia, et unus Deus. Sic et ne majestate, et potestate, de omnibus quæ substantialiter Deo dicuntur, intelligendum atque fatendum est. Et item hæc prava atque perversa Gothescalci contextit.

VI.

« Sicut enim, inquit, Deus Trinitas singularis est, juxta illud, *benedicta sit Trinitas*, sic etiam numeri singularis, et tria deitas. »

XP. Hinc liber sextæ synodi, per quem Gothescalci falso redamavit, et suam falsam confirmare sententiam, eum falsitatis redarguere falsarium comprobatur in sua falsa interpretatio qui volens vomere quod non glutivit, et per trinam deitatem interpretatus est. Nam illud in unitate deitatis, quæ est unitas Trinitatis recipit numerum, nec quamcunque adjectivam demonstrantem pluralitatem. Non ita ut interpretatur Gothescalci, intellexit Victorinus rhetor Romæ, et magister beati Hieronymi scribe Candidum Arianum, per conclusiones et extensa dialecticæ ac rhetoricæ disciplinæ, quæ quomodo sibi cognatæ sunt, suam hæresim confirmantem, eodem modo cum verborum sensu Græcæ linguæ, de Patre et Filio et Spiritu sancto ipsius impietatem refellens, et destruens interpretatur : « Sic, inquit, istorum trium unum et existentiam una divinitas, et non multifida majestas et tria unum, et unum tria, et ter unum et idem et unum et solum est. » Et veri Græcæ linguæ interpretes epistolam ab apostolica fide, et a præsentia sancta sexta synodo receptissimam, ut dicitur sancti Sophronii Hierosolymitani episcopi interpretantes, non trina sed ter interpretati sunt, et thematizant illos qui illud ter non recto sensu intelligunt, et trinam deitatem dicunt, sicut in sexta synodo continetur, ubi dicitur : « Numquam ergo beata Trinitas non essentiis, non naturis diversis deitatibus, trinisve dominationibus,

sicut insaniunt Arii, et sicut novi *τριθεοταλας*, id est iter deitatis latratores, ossentias tres, et naturas tres, et tres dominationes, et tres similiter vaniloquentes deitates, » Et paulo post : « Dividitur atque indivisa sancta Trinitas, et divisae rursus conjungitur. In personis namque divisionem habens indivisa permanet, et inseparabilis per essentiam et naturam, similiterque et deitatem. » Et Boetius in libro de Trinitate ex beati Augustini scriptis, sicut et ipse fatetur : « In numero, inquit, 475 quo numeramus, repetitio unitatum facit pluralitatem, in rerum vero numero non facit pluralitatem unitatum repetitio. Velut si de eodem dicam : Gladius unus, mucro unus, ensis unus, potest enim unus tot vocabulis gladius agnosci, hæc unitatum repetitio iteratio potius est quam numeratio : velut si ita dicamus : Ensis, mucro, gladius, repetitio quædam est ejusdem, non numeratio diversorum ; velut si dicam, Sol, sol, sol, non tres soles effecerim, sed de uno toties prædicaverim. Non igitur si de Patre, Filio et Spiritu sancto tertio prædicatur Deus, idcirco trina numeratio numerum facit. » Videlicet quia Patris et Filii et Spiritus sancti una est deitas, quæ Trinitatis est unitas. In personarum ergo proprietate sanctæ et inseparabilis Trinitatis, cum Pater ad Filium, Filius ad Patrem, et Spiritus sanctus ad Patrem Filiumque refertur, relative et quodammodo separabiliter dicitur apud Græcos trias Trinitatis, ut si quæretur ad quid dicitur Trinitas, respondeatur personarum, vel ad personas, quia Patris et Filii et Spiritus sancti ideoque Trinitas a catholicis dicitur, quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi Triunitas, id est ter unitas, et non trina unitas, constans tribus quæ numerantur personis unius deitatis, quæ ut divisione ita pluralitate caret ac numero, quia ubi nulla est differentia, nulla est, ut Boetius dicit, omnino pluralitas, quare nec numerus, inicitur unitas tantum, et unitas in se trina esse non potest. Quapropter catholici et veri interpretes semper in sancta et inseparabili Trinitate, illud *τρεῖς* ter de Græca in Latinam linguam interpretati viderunt, quia trina repetitio unius Dei, cum dicitur Pater et Filius et Spiritus sanctus, non facit in essentia pluralitatem, sed unus Deus toties personaliter prædicatur. A numero autem quo numeramus, in quo pluralitatem ostendimus, sicut *τριάδος* triplex, *τρίγωνος* triangulus, *τριδκοντα* triginta, *τριακόσια* trecenta, *τριετία* triennium, *τριετής* trimus vel trima, *τριετηρικός* triennalis dicitur, et plura his similia quæ rebus subjiciuntur, quærent nominationem rerum quibus subjecta sint, et cum subjiciuntur materiis, accidentium varietas vel multitudinem significans, quæ divisæ in rebus numerabilibus constat ex diversitate vel pluralitate quam in se habet, ostendit etiam in eis quibus subjicitur quædam pluralitatem et numeri differentiam verbi gratia, ut trimus vitulus, triennalis javena, triplex funiculus, triangulus lapis, triginta veli, trecenta senta. Ex his orthodoxorum dictis et

A vera Græcæ linguæ interpretatione, manifestissime claret Gothescalcum in sua interpretatione et in sua expositione mentitum fuisse. Nobis autem Latinis, et Græcæ linguæ ignaris, non est hinc necesse diutius laborare, cum satis in orthodoxorum libris, qui utriusque linguæ fuere periti, inveniamus qualiter secundum catholicam fidem credere et confiteri, tenere quoque ac prædicare, de sancta et inseparabili unius deitatis Trinitate 476 debeamus. Nec nobis aliquis inde scrupulus, ex Gothescalci et aliorum imperitorum atque male sentientium verbis, qui Græcæ linguæ penitus expertes fuerunt, inesse debet, cum in majorum nostrorum scriptis legamus, multos qui sibi interpretationem Græci sermonis usurpaverunt, et vim notarum ac punctorum, quinimo accentuum superpositorum ad tollendam ambiguitatem, quæ apud eos ex quibusdam illorum fit litteris, et ad intelligentiam sermonum, atque ad pronuntiationem distinguendam, plurimum valere dicuntur, non intellexerunt, errasse et alia pro aliis, ut pro visione montem, pro filio porcum, pro trina, et his similia, et interdum singularia pro pluralibus, et pluralia pro singularibus transtulisse. Post prædicta, inveteratum antiquissimi scriptoris venenum, a sanctis patribus, et in Nicæna synodo, et in aliis catholicis conciliis atque orthodoxis scripturis execratum ac prædamnatum Gothescalcus eructat, dicens :

VII.

÷ « Sicut unamquamque ex trinitate personarum, « quisquis est catholicus credit et consistat, int- C « grum, plenum, perfectum penitus Deus; sic uni- « cuique personæ suam propriam deitatem integram, « plenam, perfectamque penitus inesse credat, et « confiteatur, et asserat, ac pro viribus collatis et « conferendis deinceps divinitus contradicentes « quoscunque convincat. In hoc enim liquet luce « clarus, quin patet sole splendidius, quod inest « unicuique personæ sua propria deitas, atque di- « vinitas, quia revera nequaquam assumpsit hu- « manitatem, quod absit, ullo modo tota Trinitas, « sed sola tantummodo Filii deitas. »

D XP Hinc quisque cordatus percipiat quantum sit arrogantia vitium, quod non solum veritatem, sed nec seipsum quem præoccupat permittit cognoscere hominem. Unde Dominus loquens ad Moysen (*Levit. XXI, 20*), inter cætera jussit ut albuginem habens in oculo non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus. Albuginem vero habet in oculo, ut exponit Gregorius (*Pastor. part. 1, cap. 2*), « qui veritatis lucem videre non sinitur, quia arrogantia sapientiæ seu justitiæ cæcatur. Pupilla namque oculi nigra videt, albuginem to'crans nihil videt : quia videlicet sensus humanæ cogitationis, si stultum se peccatoremque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem sibi justitiæ seu sapientiæ tribuit, a luce te supernæ cognitionis excludit, et eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se per arrogan-

tiam exaltat : sicut de quibusdam dicitur, et de hoc singularis amentiae homine intelligi rite potest, *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (Rom. I, 22). » Paulo namque superius unam naturaliter deitatem divisit, trinam esse illam personaliter dicens : deinde ut scriptum est sub meretricis mulieris specie (Prov. VII, 14), quod catholici viri interpretantur de haeresi, quia non valet consistere pedibus suis quin de pessimis ad pejora labatur, sui ipsius oblitus, unicuique **477** personae in sancta Trinitate propriam deitatem, integram, plenam, perfectam, ac per hoc tres deitates, quod a catholicis jure damnatur, penitus inesse credi et asseri atque defendi debere dicit. De quo ait secundum Septuaginta translationem Isaias propheta : *Stultus stulta loquitur, et cor ejus vanam intelligit, et consummat inimica : et loquitur ad Deum errorem, ad disperdendas animas esurientes, et animas sitientes inanes faciat.* Concilia enim malorum iniqua cogitaverunt disperdere humiles in sermonibus iniquis, et dissipare verba humilium in iudicio. Nam pii sapientiam cogitaverunt, et hoc consilium manebit, videlicet quod contra eum redarguens et revincens illum ad Corinthios scripsit apostolus Paulus dicens : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus, cum omnibus vobis* (II Cor. XIII, 13). Hic charitas Dei, hoc est Patris, intelligenda est, de quo dicit Joannes apostolus : *Deus charitas est* (I Joan. IV, 9). *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam unigenitum Filium suum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum* (Joan. IV, 16). Gratia Domini nostri Jesu Christi, de quo ad Hebraeos dicit Apostolus, *Gratia Dei pro omnibus gustavit mortem* (Hebr. II, 9). Communicatio sancti Spiritus, sicut Augustinus dicit, intelligenda est « quoniam in eadem unitate substantiae et aequalitate cum Patre et Filio consistit. Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive charitas, sive ideo unitas quia charitas, et ideo charitas quia sanctitas, nequaquam minor est illis in aliquo ex quibus processit, sic manens ut procedat, sic procedens ut maneat. Proinde totus de Patre procedit, et totus de Filio : totus in Patre manet, et totus in Filio. Quamobrem naturaliter hanc habet cum Patre et Filio unitatis plenitudinem, et plenitudinis unitatem, ut totam Patrem habeat, totumque Filium, ipseque totus habeatur a Patre, totus habeatur a Filio : qui etiam a Patre et Filio aequaliter datur, imo et a seipso datur. » Et Athanasius hanc Apostoli exponens sententiam (lib. IV, in princip.) dicit : « Nonne aperte per singula nomina singulas personas inesse distinxit? Nomina singula tantum in personis perfecte ostenduntur, deitatis usque iudicium uniter per haec ipsa indicatur? Sic Pater in Filio, et Filius in Patre, Spiritus autem sanctus conjunctio deitatis virtus et unitas Trinitatis. Qui tres virtutes inducit, tres deos confitetur. Nos autem credimus tres personas, unam deitatem : confitemur Patrem in Filio, et Filium in Patre cum

A Spiritu sancto : non separatur unitas, non deitas, Deus ex Deo, non duo dii, virtus ex virtute, sed una virtus, lumen de lumine, veritas ex veritate, sed unum lumen et una veritas. » Et exponens sententiam Apostoli (lib. IV, post me) *O unia ex ipso, et per ipsum, et in ipso* (Rom. I, 20). « Ex ipso, inquit, ex Patre est dictum, et per ipsum, et in ipso in ipso Spiritu sancto, est consummatum. Itaque quod ait ex ipso, et in ipso, quia identidem haec ipsa est divinitas Patris, Filii et sancti Spiritus, ideo cuncta ex ipso, ipsum, et in ipso sunt facta : ipsi Trinitati unitate inenarrabili honor et gloria in saecula saeculorum, Amen. » Et Ambrosius in libro de Spiritu sancto : « Manet, inquit, cum Patre et Spiritu sancto. Unde et Apostolus cum Jesu Christi, et charitate Dei, communicat Spiritus sancti copulavit, dicens : *Gratia I nostri Jesu Christi, et charitas Dei et communio Spiritus sancti cum vobis omnibus* (II Cor. XIII, 13). Advertimus igitur quod Pater et Filius et Spiritus sanctus in uno eodemque templo per naturam demancant unitatem. Si enim, ut Gothes dicit, et fides catholica contradicit, unicuique personae propria et specialis inest deitas, et non deitatis, quae communis est simul tribus personae, quibus singulis inest specialis proprietas, ut unicuique proprium est Patris qui a nullo est, ut proprium est Filii qui de substantia Patris generatur, et ut Filius sit; proprium est Spiritus sancti qui ex Patre Filioque procedit, ut amborum proprium est Filii Spiritus sit; et si tres, quod ab apostolus propriam personarum deitates, ut unicuique personae sit propria, id est specialis deitas, tres dii erant, jam non erit inseparabilis Trinitas, quoniam separabilis, imo separata est deitas, quae Trinitatis unitas, et qua est inseparabilis Trinitas. Et dicitur VIII.

÷ « Superest ut illi qui sunt grammatici, « lunt esse simul et haeretici, non praesumant in Ecclesia veracis Dei, veritatis Dei, verum quod τριθεοτεία, id est trina deitas, ulla pluralis existat numeri, cum sit ut claret singularis, velut noverunt universi qui vel critere artis grammaticae sunt periti. »

D XP. Oblitus, vel potius propter arrogantiam non valens rudimenta artis grammaticae, id est nati doctrinam, quam sicut alphabetum initium licet elementorum in schola discunt pueri scriptum est, eodem Donato docente : Sunt almina sono singularia, intellectu pluralia, ut populus, concio, plebs, multitudo, sicut et quae sunt nomina mobilia et adjectiva, sono singularia, intellectu in se pluralitatem habent adjuncta singularis numeri fixis nominibus pluralitatem monstrantia, ut tertia, trina, trima, tria et alia hujusmodi, de quibus quaedam pro exempli gratia, tertia hora, trina repetitio,

juvenca, trigana mulier, in quibus omnibus fixis nominibus, ex adjectivis in se pluralitatem habentibus, quodammodo quædam pluralitas demonstratur. Nam cum dicimus hora tertia, horarum multiplicatio designatur: cum dicimus trina repetitio, pluralitatem repetitionis ostendimus: cum dicimus trina juvenca, annorum in ea pluralitatem signamus: cum dicimus trigama mulier, plures eam habuisse viros manifestamus. Invenitur quoque dictum ab Augustino in libris de Trinitate, trinitas anulorum, trinitas personarum, trinitas in mente hominis, ubi ad imaginem Dei factus est. Unde ut putamus **470** non inconvenienter etiam dici potest trina Trinitas. Sed cum inconvenienter a Gothescalo dicitur trina deitas, pluralitas et numerus, quæ ut dicit Boetius fiunt ex differentia, illi naturæ simplici et indivisibili, quæ nec in personis habet quamcunque differentiam, quod est dicere nefas imponitur, et in hoc mobili et adjectivo nomine quod est *trina*, et in fixo nomine cui adjicitur, quod est *Trinitas*, continetur pluralitas, quam in se non recipit deitas, Qua de re *trina deitas* a nullo catholico intellecta, vel credi aut dici habere dicta est, ut Boetius in libro ad Joannem dicit: « Si igitur interrogem, an qui dicitur Pater substantia sit, respondetur esse substantia. Quod si quæram an Filius substantia sit, idem dicitur. Spiritum quoque sanctum substantiam esse nemo dubitaverit. Et cum rursus colligo Patrem, Filium, Spiritum sanctum, non plures, sed una occurrit esse substantia. Una igitur substantia trium, nec separari ullo modo aut disjungi potest, nec velut partibus in unum conjuncta est, sed est una simpliciter. Quæcunque igitur de divina substantia prædicantur, ea tribus oportet esse communia. Si dicimus Pater Deus est, Filius Deus est, Spiritus sanctus Deus est, Pater, Filius ac Spiritus sanctus unus Deus. Si igitur eorum una deitas, una substantia est. » Et in libro de Trinitate: « Quod tertio repetitur Deus cum Pater et Filius et Spiritus sanctus nuncupatur, tres unitates non faciunt pluralitatem in eo quod ipsæ sunt, id est in deitate, quæ natura et essentia est, quæ ab eo quod est esse essentia dicta est. » Non igitur, inquit idem Boetius (*lib. de Trinitate ante med.*), « si de Patre ac Filio et Spiritu sancto tertio prædicatur Deus, idcirco trina prædicatio numerum facit. Hoc enim illis ut dictum est imminet qui inter eos distantiam faciunt meritorum: catholicis vero ita indifferentia constituentibus, ipsamque formam ut est esse ponentibus, neque aliud esse quam est ipsam quod est opinantibus, recte repetitio de eodem quam enumeratio diversi videtur esse, cum dicitur Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: atque hæc Trinitas unus Deus, velut ensis, mucro atque gladius, unus gladius, velut sol, sol, sol, unus sol. Sed hoc interim in eam dictum sit significationem demonstrationemque, qua ostenditur non omnem unitatum repetitionem numerum pluralitatemque perficere. Non vero ita dicitur Pater ac Filius et Spiritus sanctus,

quasi multivocum quiddam. Nam mucro et ensis et ipse est et idem, Pater vero ac Filius et Spiritus sanctus idem equidem est, non vero ipse. » Hinc manifestum est Gothescalum non dicere verum: Sicut, inquit, Deus Trinitas numeri singularis est juxta illud, Benedicta sit sancta Trinitas: sicut etiam numeri singularis est trina deitas. Quia trina et trinitas sono singularis sunt numeri, et intellectu pluralis. Deitas autem, qui Patrem Deum dicimus, Filium Deum dicimus, Spiritum sanctum Deum dicimus, et sono et intellectu singularis est numeri, et adjectionem pluralitatem significantem non recipit: quoniam sancta **480** et inseparabilis in personis intelligitur et dicitur Trinitas et in substantia, essentia, natura, divinitate, deitate, intelligitur et dicitur unitas, quia deitas Trinitatis est unitas, ut omnes doctores catholici, sed et Boetius in præfato libro de Trinitate ut præmisimus dicit: « Ubi, inquit, nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas, quare nec numerus, igitur unitas tantum. Nam quod tertio repetitur Deus, cum Pater et Filius et Spiritus sanctus nuncupatur, tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsæ sunt, » id est in essentia, videlicet deitate. Unde dixit Deus ad Moysem: *Ego sum qui sum, et, dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos (Exod. III, 14)*. Regula igitur fidei, secundum auctoritatem sacræ Scripturæ, in qua legitur *Sunctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth (Isa. VI, 3)*; et, *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ (Psal. LXVI, 8)*; et, *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi gloria (Rom. XI, 36)*, catholice dicitur: *Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam*. Sed non sicut catholice dicitur, benedicta sit sancta Trinitas, videlicet personarum, atque indivisa unitas, quæ intelligitur deitas, quæ Trinitatis est unitas, non potest ita, ut Gothescalus desipit, catholice dici trina deitas, quæ ut Augustinus sicut præmisimus dicit, Trinitatis est unitas, de qua dicit Ambrosius: « Tu Trinitatis unitas, orbem potenter qui regis; » et Athanasius in libro sexto de Fide: « Deus, inquit, Pater, Deus et Filius, Deus et Spiritus sanctus. Vides Trinitatis indicium in tribus esse personis, et tres has personas nominibus tantum esse discretas: unde nec unitas potest ostendi sine personis, nec hæ personæ sine unito nomine deitatis. » Hoc, ut Augustinus dicit, animalis homo non percipit, hoc Gothescalus videre non valet, quia sicut in litteris divinitus inspiratis legimus, scilicet quatuor esse arrogantium species, id est cum quisque arrogans quod habet, aut a se habere, aut sibi pro meritis suis datum computat, aut quod non habet habere se simulat, aut id quod habet singulariter præ cæteris sibi habere arrogat. in isto manifeste videmus. Nam de duabus prioribus arrogantium speciebus ipse viderit, duas posteriores in eo fuisse et adhuc permanere, qui illum ab infantia cognoverunt, et manifeste conspiciunt, et conspexerunt. Non enim potest sustinere, ut audiat quod illius sensui non concordat, multo minus autem ut

illum aliquis doceat, et omnium sensus suo sensui incomparabiles computat, et neminem sibi in scientia æquiparabilem putat, et non suum sensum ad Scripturas, sed Scripturas ad suum sensum inflectere curat: quas quia malo voto legit, veritatem in eis videre non valet. *Excæcavit enim eum, sicut scriptum est; malitia ejus (Sap. 1, 21). Quoniam in malivolam animam non introibit sapientia (Sap. 1, 4): et, Spiritus sanctus, quo ipsæ Scripturæ sunt inspiratæ, disciplinæ effugit fictum, et aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu (Sap. 1, 5).* Requiescit enim super humilem et quietum, et ut sanctus dicit Gregorius, quam non invenit humilem **481** veritas fugit mentem. De quo et ejus similibus item beatus dicit Gregorius (*lib. vii, Moral., c. 2*): « Hæretici in inquisitionibus suis non veritatem conantur assequi, sed victores videri: cumque foris ostendi sapientes appetunt, intus per stultitiam elationis suæ vinculis ligantur. Unde fit ut contentionum certamina exquirant, et de Deo, qui pax nostra est, loqui pacifice nesciant, atque ex pacis negotio rixæ inventores fiant. Quibus bene per Paulum dicitur: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei (I Cor. 11, 16).* » Propterea non est mirum si cum Pharisæo de templo Domini, id est sancta Ecclesia, justus ejectionis habetur injustus, in quo plures sua prava conversatione atque doctrina injustifloans diu mansit perniciose iniquus, et adhuc, sicut sanctus Hilarius de Osio dicit, idcirco est reservatus, ne judicio humano ignoraretur qualis ante vixisset.

Contra cujus mortifera venena, quibus expuit **C** quod unicuique personæ sua propria, integra, plena, perfecta que sit deitas, et sola tantummodo Filii deitas humanitatem assumpserit, sanctus Athanasius dicit in capite libri primi de Trinitate: « Tu unus Deus Pater, et unigenitus Dei Filius, Deus Spiritus sanctus, qui unam deitatem nobis declarasti, et sacrosanctæ solius divinitatis indivisam gloriam revelasti, et perfectam gloriam Trinitatis tuam sempiternam plenitudinem demonstrasti. Ideo optimum duxi, ut tua veritas patefacta claresceret, et hæreticorum detecta cæcitas innotesceret. » Et hoc catholice per totum libri corpus contextens ad locum dicit (*de unito nomine Trinitatis*): « Unde quamvis in hoc loco copiose sint significationes dictæ, tamen ad unitam divinitatem Trinitatis evidentius sunt approbatæ. » Et post aliquanta: « An **D** ignoras, inquit, quia Pater unus Deus est, et Filius unus Deus est, et Spiritus sanctus unus Deus est? Nonne unus Deus est, dum unitum nomen est in natura usi? Sic et unus Spiritus est, quia unita est ejusdem deitas. Nam si tu per singula nomina personarum unitum nomen spiritus ter designasti, nunquid tres spiritus dicere oportet? absit. Quod si hoc potuerat dici, tale erat ut et hoc in confessione deberet introduci, tres deos plurali numero nuncupari: ut jam non esset in his personis unita natura divinitatis, sed unusquisque in propria vel diversa natura sua consisteret, quod absit. » Et item paulo post:

A « Nos unitatem deitatis uniter, non plurali Trinitate consentire sciamus. » Et item: « *Ide est Deus, quia unita est deitas, sicut per si personas scriptum est. Et quia nullus Deus nisi vel hoc, Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus est (Deut. vi, 4).* » Et item: Memento unitum men divinitatis esse singulis personis; * quod dem libro Scripturarum auctoritate confirm post illa testimonia dicit: « Vides in his pe unitum esse nomen Trinitatis in natura. » **E** post plura Scripturarum testimonia: « Vides p gulas significationes, videlicet personas, uniti men deitatis per indicatum? » Et post aliq **A** « Scriptum **482** est, *Euntes baptizate omnes in nomine, et sic prosecutus est, Patris et Spiritus sancti (Matth. xxviii, 19).* Unde in **B** sonis per omnia in deitate divinitatis unitum est, et per ipsa nomina Trinitatis tantum pe distinctæ sunt. » Et post pauca: « Ut in be unitum divinitatis nomen prius confitearis, missam peccatorum in his personis consequi ris. » Et item: « Vides quia in deitate et in su tia plenitudinis per omnia unum sunt, et in hi bus personarum tres sunt. » Et in secundo **I** propriis personis, et de unito nomine divinita **g** *gabo Patrem meum, et alium paraclotum dicit (Joan. xiv, 16).* « Scito alium ab alio, sive alter altero in persona tantum differre, et non in uniti tudine divinitatis usi. Nam si secundum **n** singula personarum alter in altero sine dubi potest, nunquid sic et in unita deitate alter **C** potest pernuntiari Pater, quasi sit in natura ses a Filio, et alter Deus potest dici Filius a quasi sit in deitate alter, et alius Deus potest **ter** Spiritus sanctus, quasi sit in substantia: e pante a Patre et Filio? absit: dum unitum **s** sit in eis in una vera natura, ac per hoc unus est Deus. » Et post pauca: « Sane deitas eoru sit unita, alter hic Deus ab illo alio Deo verbu dici non potest, quia unitum nomen est, et in tudine divinitatis, et ideo unus est Deus. » **Et** « Præterea ubi nullus nec numerus, sed neco differentia in unita plenitudine deitatis Patris et Spiritus sancti invenitur, dum unus in **al** nomine distincte in divinitate et tamen uniter **netur.** *Interrogatio.* Pande itaque mihi quomodo unum sunt, aut unum tres sunt. *Responsio.* Me quia Pater et Filius et Spiritus sanctus tres sunt, qui in natura Trinitatis consistent. **Ide** unum sunt, sive unum tres. *Interrogatio.* Nisi **divisa** est hæc Trinitas, an indivisa est, dicit **Responsio.** Plane divisa est in nominibus tantu sonarum, in deitate autem indivisa est. *Interro* **Edicto** mihi quomodo interpretatur unitas. **I** *sio,* Nescis quia una est Patris et Filii et S **sancti** divinitas? *Interrogatio.* Quid significat intelligitur in hoc loco natura? *Responsio.* Hoc **sentitur** veritas ac deitas sive substantia, **e** Græci dicunt usi, quæ est manifeste unita

do divinitatis. *Interrogatio.* Quid est una Trinitas? *Responsio.* Utique quia una est in ipsa Trinitate ple-
 tudo divinitatis: ita et unitatis naturæ nomen
 iter in Trinitate consistere declaratur, et in ipsa
 trinitas æque per singula nomina personarum per-
 te demonstratur. »

Et sanctus Hilarius in Commento Matthæi (*canone*
): « Duo autem sunt in lecto eandem passionis Do-
 nicæ requiem prædicantes, circa quam et hæretico-
 m et catholicorum eadem atque una confessio est.

quia unitatem Patris et Filii, et communem eorum
 roteiam, quam deitatem nuncupamus, catholico-
 m veritas prædicabit, et eandem rursus plurimis
 contumeliis hæreticorum falsitas impugnabit,
 circo ex duobus in lecto alius relinquitur et alius
 sumitur, quia fidem confessionis utriusque in uno
 sumendo et alio relinquendo divini arbitrii judi-
 um comprobabit. » Et Ambrosius in primo libro de
 de (*lib. 1, c. 1*): « Scriptum est, *Audi Israel, Domi-
 us Deus tuus Deus unus est* (*Deut. vi, 4*). Deus enim

Dominus nomen magnificentæ, nomen est po-
 tatis, sicut ipse dicit: Dominus Deus nomen est
 ihi: et sicut alibi propheta asserit, *Dominus Deus
 omnipotens nomen est ei* (*Exod. xv, 3*). Dominus ergo
 Deus, vel quod dominetur omnibus, vel quod spe-
 et omnia, et timeatur a cunctis. Si ergo unus Deus,
 um nomen, una potestas, una est Trinitas. Deni-
 e dicit: *Ite baptizantes in nomine Patris et Filii et
 Spiritus sancti* (*Matth. xxviii, 19*). In nomine utique,
 in in nominibus. Ipse etiam dicit, *Ego et Pater
 unum sumus* (*Joan. x, 30*). Unum dixit, ne fiat discre-

potestatis: *sumus* addidit, ut Patrem Filiumque
 gnoscas, quod perfectus Pater perfectum Filium
 nuisse credatur, et Pater ac Filius unum sint, non
 personarum confusione, sed unitate naturæ. » Et
 in (*cap. 2*): « Unum ergo Deum, non duos aut tres
 nos dicimus, ut impia Arianorum hæresis dum cri-
 natur incurrit. Tres enim Deos dicit, qui divinita-
 m separat Trinitatis. » Et Augustinus in libro con-
 e quinque hæreses: « Dic, doctor meus, sancte
 ante, doce divini juris perite, sponsi amice. Homo
 modo venit, mundum subvertit, et fidei unitatem
 rindit, Trinitatem dividit. » Et item post aliquanta:

Diximus de Patre et Filio quod potuimus, et quan-
 potuimus, si tamen aliquid digne potuimus, de
 spiritu sancto tacuimus, sed non cum separavimus.
 quidquid enim de Patre et Filio diximus, etiam de
 spiritu sancto diximus. Est enim in illis et cum illis
 equalis, unus non minor aut tertius Deus. Quid
 huc dicam fatigatus? Qui Spiritum sanctum a Pa-
 re et Filio, æternitate, et substantia, vel commu-
 ione separat, et qui negat spiritum esse Patris et
 Filii, plenus est spiritu immundo, vacuus Spiritu
 sancto. Ideo enim Deus dicitur charitas, quia non
 artibus dividit unitatem, sed ineffabiliter coagulat
 unitatem. Ipsa est enim Trinitas unus Deus, turris
 rititudinis a facie inimici, qui credentes in se custo-
 t in sæcula sæculorum. » Et item idem sanctus
 Augustinus in sermone de fide contra hæreticos:

A « Dicamus aliquid de Scripturis, non rationem se-
 quentes, sed auctoritatem Domini salvatoris. Christus
 dicit ascensurus ad cælos, ad apostolos loquens,
 quibus prædicat ut magister et Dominus. Nemo sic
 novit de natura sua dicere, quomodo ipse qui Deus
 est. Nobis autem sufficiat scire de Trinitate quod
 Dominus exponere dignatus est. Quid ergo dicit ad
 apostolos? *Ite, baptizate omnes gentes in nomine
 Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth. xxviii, 19*).
 Tria nomina audio, et unum dicitur nomen. Non
 enim dixit in nominibus, sed in nomine. Tria nomina
 dicit, et quomodo unum ponit, in nomine Patris et
 Filii et Spiritus sancti? Nomen Patris et Filii et
 Spiritus sancti unum est, sed Trinitatis est ~~484~~ no-
 men. Quod dicitur in nomine Patris Dei, in nomine
 Filii Dei, in nomine Spiritus sancti Dei, Pater et Fi-
 lius et Spiritus sanctus unum nomen est divinitatis.
 Sed requiris a me quomodo uno nomine tres appel-
 lantur, nescio, et libere me nescire profiteor quod
 Christus noluit indicare. Hoc solum scio, quia et in
 hoc sum Christianus, quia unum Deum in Trinitate
 confiteor. Si autem dixero, unam personam esse
 Patris et Filii et Spiritus sancti, Sabellianus appella-
 bor, et incipio non esse Christianus, sed Judæus.
 Quia Judæus unum Deum dicit, et quia Patrem nescit
 et Filium et Spiritum sanctum, propterea mysterium
 non tenet Trinitatis. Ergo si sic dicimus unum Deum
 ut Patrem et Filium et Spiritum sanctum excludamus
 a mysterio Trinitatis, Judæi efflicimus. Ergo libere
 dico, non ex me sed sententia Salvatoris, scandalum
 quod in animo nascitur auditoris, quomodo tres unum
 sint, quomodo Pater et Filius et Spiritus sanctus
 non dividantur in divinitate, sed in personarum qua-
 litate. Quandoque personas appello, rogo vos non
 me reputetis personas hominum dicere. Ego perso-
 nas in Patre et Filio et Spiritu sancto non dico quasi
 personas hominum. Patris personam dico, quia Pa-
 ter est, et Filii quia Filius est, et Spiritus sancti
 quia Spiritus sanctus est. Non est Pater Filius, nec
 Filius Pater, nec Spiritus sanctus Pater aut Filius.
 Dividuntur enim proprietatibus, sed natura socian-
 tur. » Item in alio sermone de Fide contra Arianos
 et Sabellianos: « Nec est prorsus aliquis in Trinitate
 gradus, nihil quod inferius specialiusve dici potest:
 ita tota deitas sua perfectione æqualis est, ut, ex-
 ceptis vocabulis quæ proprietatem personarum in-
 dicant, quidquid de una persona dicitur, de tribus
 dignissime possit intelligi; atque ut confutantes
 Arium unam eandemque dicimus Trinitatis esse
 substantiam, et unum in tribus personis fatemur
 Deum: ita impietatem Sabellii declinantes, tres
 personas expressas sui proprietate distinguimus:
 non ipsum sibi Patrem, ipsum Filium, ipsum Spiritum
 sanctum esse dicentes; sed aliam Patris, aliam
 Filii, aliam Spiritus sancti esse personam. Non enim
 nomina tantummodo, sed etiam nominum proprieta-
 tem, id est personas confitemur: nec Pater Filii aut
 Spiritus sancti personam aliquando excludit, nec
 rursus Filius aut Spiritus sanctus Patris nomen.

personamque recipit, Sed Pater semper Pater, Filius semper Filius, Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus. Itaque substantia unum sunt, personis ac nominibus distinguuntur. » Et item sanctus Augustinus in libro primo (*cap. 4*) de Trinitate : « Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus unius ejusdemque substantiæ, inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres dii, sed unus Deus, quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est, Filius a Patre sit **485** genitus, et ideo non sit Pater qui Filius est, Spiritus sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantum Patris et Filii spiritus, Patri et Filio etiam ipse cœqualis, et ad Trinitatis pertinens unitatem. »

Et sanctus Sophronius in catholica sua epistola, quam sexta synodus (*synodi vi act. 11*) ad catholicæ fidei confirmationem produxit : « Nos, inquit, unum principium unius novimus deitatis, unum imperium, unam potestatem, unam virtutem, unam operationem, unum consilium, unam voluntatem, unam dominationem, unum motum, tam omnium quæ post eam sunt creatricem, quamque providam et stabilientem atque conservatricem, unam dominationem, unam sempiternitatem, et quæque sunt talia singularia et incomposita unius essentiæ atque naturæ in tribus personalibus subsistentiis; neque subsistentias confundentes, et in unam eas subsistentiam deducentes, neque eandem unam essentiam partientes, et in tres eam essentias discerpentes, et unam ex hoc dividentes deitatem. Sed est unus Deus, una deitas, in tribus subsistentiis fulgens, et tres subsistentiæ et personæ in deitate una cognoscuntur. Propterea perfectus Deus est Pater, perfectus Deus est Filius, perfectus Deus est Spiritus sanctus, idcirco quod unam eandemque singula quæque persona inseparabilem, indiminutam, atque perfectam habet deitatem. Et juxta quod Deus quidem est, id ipsum existit unumquodque, dum seorsim consideratur, ipsa intelligentia quod non est separabile separante, ut Pater tamen et Filius et Spiritus sanctus, aliud, et aliud, et aliud dicantur. Et idcirco hæc a Dei capacibus prædicantur Deus, et Deus, et Deus, sed unus est hæc tria Deus. Non enim alius Deus Pater, nec alius Deus Filius, neque alius iterum Deus Spiritus sanctus, quia nec alia natura est Pater, nec alia natura est Filius, neque alia iterum natura est Spiritus sanctus. Hoc enim etiam multos atque diversos Deos officinatur, multasque et varias generat deitates; sed Deus quidem est Pater, Deus vero est Filius, similiter et Deus est Spiritus sanctus, eo quod indivisæ et indiminutæ eadem tres personæ una impleantur deitate, et in unaquaque earum funditus tota est. Nam deitas divisionem non sustinet, et in tribus ipsis personis plenitudo atque perfecte est, non partibiliter, sive ex parte eandem

A implens personas, sed in unaquaque existens sima, et una permanens, licet in tribus personis monstratur, et ad decorum multitudinem excelsa licet in tribus sit subsistentiis, ut non corpoream quamdam sustineat sectionem, quæ certe est sensibilis et incorporca, et pati nesciens quæ ei sunt propria. »

Hæc Spiritus sanctus per sanctos dicit Augustinum, Hilarium et Ambrosium, atque Augustinus et spiritus immundus exhalat per immundum Gothescalcum dicens : « Sicut unamquamque Trinitate personarum quisquis catholicus confitetur, integrum, plenum, perfectum, et Deum : sic unicuique personæ suam proprietatem **486** integram, plenam, perfectam, inesse credat et confiteatur; » cum, ut sanctus Ambrosius scribit (*lib. 1 de fide, cap. 2*) : Dominando, *Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Spiritus sancti* (*Matth. xxviii, 19*), unius unitatem potestatis ostenderit. Nos Patrem et Spiritum sanctum confitemur, ita ut in Trinitate perfecta, et plenitudo sit divinitatis. et unitatis. *Omne regnum in se divisum facile destruitur*. Dominus hoc dicit. Non ergo divisum est in Trinitate. Si ergo divisum non est, unum enim unum non est, divisum est. Tale ergo esse cupiunt Trinitatis, quod divisione sui destruat. Imo quia non potest destrui, non esse divisum. Non enim dividitur unitas scinditur. » Et post aliquanta (*cap. eodem*) episcopus plenitudo divinitatis in Patre, est plenitudo divinitatis in Filio, sed non discrepans, sed unitas; nec confusum quod unum est, nec mixtum quod indifferens. » Et paulo post : « Nece negent Ariani aut Patris aut Filii divinitate ejusdem divinitatis crediderint unitatem. » Et post pauca (*cap. eodem*) : « Ut autem una deitas Patris et Filii, et unius personæ probaretur, ne gentilis aut Judaica incurreremus errorem, providens Apostolus sequi deberemus ostendit dicens : *Unus Deus ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (*viii, 6*). » Et post pauca (*cap. eodem*) : « Quod potest esse alia æstimatio, ubi deitatis unitas est. Et in libro primo de Spiritu sancto (*cap. 1*) : « Nunquid est alia offensa Filii, alia Spiritus sancti? Sicut enim una divinitas, sic una injuria. Et una pax, una gratia, una charitas, una communitio est Patris et Filii et Spiritus sancti, una operatio est, et ubi una operatio est, utriusque potest virtus esse divisa, et indiscreta sub Scriptum est enim : *Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth. xxiii, 19*), nomine dixit, non in nominibus. Non ergo unum nomen est Patris, aliud nomen Filii, aliud Spiritus sancti. Quia unus Deus, non plura nomina, quia non duo dii, non tres dii. Et ut aperiret una divinitas una majestas est, quia unum nomen est Patris et Filii et Spiritus sancti, non in alio

venerit Filius, in alio nomine Spiritus sanctus, ait ipse Dominus: *Ego veni in nomine Patris mei* (Joan. v, 43). » Et paulo post: « Scriptum est (*cap. eodem*), *Paracletus autem spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* (Joan. xiv, 26). Qui autem venit in nomine Filii, utique etiam in nomine Patris venit, quia unum nomen Patris et Filii est. Sic fit ut unum Patris et Filii nomen sit, et Spiritus sancti. Nec enim est aliud nomen sub cœlo ullum, in quo oporteat nos salvos fieri. Simul docuit unitatem divini nominis esse credendam, non disparilitatem. » Et in libro tertio, capitulo decimo quarto: « Ubi enim una deitas intelligitur, unus Deus dicitur. Sed excusemus vos ab inscientia, et si non excusamus a culpa. Etenim secundum nostram sententiam, quia unus Deus, una divinitas, et unitas intelligitur potestatis, sicut unum Deum dicimus, et Patrem verè deitatis nomine confitentes, nec Filium denegantes, ita etiam Spiritum sanctum a deitatis non excludimus unitate, et tres deos non asserimus, sed negamus, quia pluralitatem non unitas facit sed divisio potestatis. Quomodo enim pluralitatem recipit unitas divinitatis, cum pluralitas numeri sit, numerum autem non recipiat divina natura? Unus ergo Deus (*cap. 15*) salva majestate trinitatis æternæ, sicut proposito declaratur exemplo. Nec eo tamen solo loco Trinitatem videmus nomine divinitatis expressam: sed cum plerisque locis, sicut et supra diximus, tam maxime in his epistolis quas ad Thesalonicensis Apostolus scripsit. » Et item (*cap. 17*): « Ergo sicut Pater Deus et Filius Dominus, ita et Filius Deus et Pater Dominus. Alternatur pia significatio, non alternatur divina natura, sed immutabilis manet gratia. Non enim largitatis collativa, sed naturalis placita charitatis sunt, quia et unitas proprietatem habet, et proprietas unitatem. » Et item (*cap. 19*): « Aut dicant igitur quid sit quod sine Patre et Filio deitatis esse fateantur. » Et sanctus Augustinus in libro quarto de Trinitate capitulo vigesimo primo dicit: « In sua quippe substantia qua sunt, tria unum sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, nullo temporali motu super omnem creaturam id ipsum sine ullis intervallis temporum vel locorum, et simul unum atque idem ab æternitate in æternitatem, tanquam ipsa æternitas, quæ sine veritate et charitate non est. In meis autem vocibus separati sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, nec simul dici potuerunt, et in litteris visibilibus sua separatim locorum spatia tenuerunt. » Et in libro de vera Religione (*cap. 55*). « Quare ipsum donum Dei cum Patre et Filio æque incommutabile colere et tenere nos convenit, unius substantiæ Trinitatem. » Et in libro contra Maximinum (*lib. III, cap. 10*). « Tres enim personæ sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, et hi tres, quia unius substantiæ sunt, unum sunt et summe unum sunt, ubi nulla naturarum, nulla est diversitas voluntatum. Si autem natura unum essent, et consensione non essent, non summe unum essent. Si vero natura dispares essent, unum non essent. Hi ergo tres, quia

unum sunt propter ineffabilem conjunctionem deitatis qua ineffabiliter copulantur, unus Deus est. » Et item ex libro contra Maximinum (*lib. III, fine*). « Satis apparet Patris et Filii et Spiritus sancti unam esse virtutem, unam esse substantiam, unam deitatem, unam majestatem, unam gloriam, qua ipsa Trinitas est unus Dominus Deus noster, de quo dictum est, *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus, unus est* (Deut. vi, 4). » Et Leo ad Turibium Asturicensem episcopum (*epist. 4, c. 1*). « Catholica fides est, quæ Trinitatem deitatis sic *δμοῦσιον* confitetur, ut Patrem et Filium et Spiritum sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat æquales, quia unitatem in Trinitate non eadem persona, sed eadem implet essentia. » Et sanctus Gregorius multoties ita in libris suis de Trinitate unius deitatis scribit, sicut et supra in 488 homilia sexta decima Ezechielis prophetæ cum dixisse ostendimus. Similiter quoque Prosper et cæteri catholici doctores sancto illuminati Spiritu scenserunt atque dixerunt, et suis scriptis nobis legenda atque tenenda immutabiliter tradiderunt. Et hinc sanctus Athanasius in libro professionis fidei catholice super Gothescalcum (*exstant in libro VI*) et ejus complices dicit: « Maledictus qui Patris et Filii et Spiritus sancti unitam sempiternam substantiam divinitatis esse non confitetur. Fiat, fiat. Maledictus qui secundum tres personas tres diversas substantias in his esse confitetur. Fiat, fiat. Maledictus qui unitum nomen secundum deitatem Trinitatis esse non confitetur. Fiat, fiat. Maledictus qui indivisam deitatem Patris et Filii et Spiritus sancti non confitetur. Fiat, fiat. Maledictus qui unitam deitatem Patris et Filii et Spiritus sancti ex charitate concordie tantum esse profitetur, et non magis per hanc ipsam unitam divinitatem. Fiat, fiat. Maledictus qui unitam deitatem in tres has personas esse non confitetur. Fiat, fiat. Maledictus qui unitatem vel plenitudinem divinæ Trinitatis indivisam esse non confitetur. Fiat, fiat. » Hinc mille testimonia sacram Scripturarum et ex orthodoxorum scriptis dari possunt. Imo non aliter unquam vel usquam in sanctis Scripturis vel orthodoxorum dictis invenitur, nisi quia in sancta Trinitate tres sunt personæ et una est divinitas, deitas, natura, essentia atque substantia. Cæterum contra id quod idem demontissimus potiusque amentissimus Gothescalcus dicit:

IX.

÷ « In hoc, *inquiens*, liquet luce clarius, quin patet sole splendidius, quod inest unicuique personæ sua propria deitas, atque divinitas, quia revera nequaquam assumpsit humanitatem, quod absit, ullo modo tota Trinitas, sed sola tantummodo Filii deitas. »

xp. Et tollens vocem Ecclesia catholica tonitruo fortius, tuba sonorius, ostendit Gothescalci mendacium nocte opacius, tenebris tenebrosius. Quæ dicit

quia non inest, ut mendax isdem mentitur, unicuique personæ sua propria, id est specialis, deitas atque divinitas: sed est una eademque trium simul personarum deitas atque substantia, qua omnes tres simul personæ unus verus perfectusque est Deus ex plenitudine unius ejusdemque divinitatis, qua nihil minus in singulis, nihil amplius intelligitur esse in tribus. Et hinc individua atque inseparabilis sancta Trinitas dicitur. Sicut Leo de Urbe orbis capite non solum contra eum, sed et per totum mundum contra omnes hæreticos, dulcisono rugitu intonat, ad Turibium Asturicensem Episcopum scribens (*epist. 4, c. 1*): « Quia unitatem in Trinitate non eadem persona, sed eadem implet essentia. » Et Augustinus exponens Ambrosium dicentem, *Tu Trinitatis unitas*. « Divinitatem, inquit, vel si expressius dici potest deitatem, quæ Trinitatis est unitas. » Athanasius exponens quid interpretetur unitas dicit, quia una est Patris et Filii et Spiritus sancti divinitas, ac per hoc non sola tantummodo Filii deitas, ut Gothescalcus dicit, sed sola Filii persona assumpsit humanitatem, ut beatus Augustinus in supradicto sermone de fide contra Sabellianos et Arianos dicit: « Quamvis, inquit, proprie persona Filii, id est Dei Verbum, suscepit passibilem hominem, ita tamen ejus inhabitatione secundum suam substantiam deitas Verbi nihil passa est, ut tota Trinitas, quam impassibilem esse necesse est confiteri. De cujus Trinitatis, scilicet Patris et Filii et Spiritus sancti, unitate substantiæ, in libro contra Pascentium (*epistola 178*) idem beatus Augustinus dicit: Ecce *ἁμούσιον* recte probamus positum, et in assertionem fidei, qua Trinitas unitas a catholicis creditur, a Græcis Patribus dictum. » Et post pauca: « *ἁμούσιος* ergo exponitur unius substantiæ Pater et Filius et Spiritus sanctus. » Et item in eodem libro: « Absurdum igitur non est ut in conciliis Patrum Græco verbo Patris et Filii et Spiritus sancti una substantia firmaretur, cum super apostolos primitus sancti Spiritus propria largitate linguarum varietas funderetur. » Et paulo post: « Sicut enim Græca lingua, quod est *ἁμούσιον*, una dicitur vel creditur a fidelibus Trinitatis omnino substantia, sic una rogatur ut misereatur a cunctis Latinis et Barbaris unius Dei natura. » Quæ unius substantiæ tota sancta Trinitas, cujus inseparabilis est operatio, sicut et deitas ac voluntas, in utero perpetuæ virginis beatæ et gloriosæ Mariæ humanitalem, quam in unitate personæ suæ assumpsit Dei Filius, una ex eadem sancta Trinitate persona, ineffabiliter et incomprehensibiliter fabricavit, sicut sanctus Athanasius in libro (*libro xi, in medium*), de fide dicit, « Quod est, inquit, majus in tota creatura, hoc est corpus Domini, ex Spiritu sancto esse creditur, sicut evangelista Matthæus tradidit: *Christi generatio sic fuit. Cum desponsata esset Maria mater ejus ab Joseph, antequam convenireni inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus cum esset homo justus et nollet eam detegere, voluit eam occulte dimittere. Hæc autem eo cogitante,*

A ecce angelus Domini in somnis visus est ab Joseph dicens illi: *Fili David, ne timeas recipere Mariam uxorem tuam, quod enim ex ea nascetur, de Spiritu sancto est (Matth. 1, 18)*. Et licet sapientia Salomonis in Proverbiis de corpore Salvatoris diceret, *Sapientia ædificavit sibi domum (Prov. ix, 1)*, et hic profitetur unigenitum creatorem corporis sui, hic tamen angelus ex Spiritu sancto illud esse dixit, et sic omnis Christianus cum instruitur credit. Neque enim Scriptura circa Trinitatem discrepat, unam eandemque operationem ejus factam ubique docens. Denique Deum paritura beata Virgo Maria, cum Gabriele audisset dicentem, *Ecce in utero habebis, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum, et cætera*, et cum interrogasset, *Quomodo erit istud quia virum non novi (Luc. 1, 31)*? statim docetur ab eo dicente: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te. Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Quod si virtus Altissimi est unigenitus secundum Paulum dicentem, *Christus Dei virtus et sapientia (I Cor. 1, 24)*, Spiritus vero sanctus Paracletus spiritus veritatis, et hisque obumbrantibus paritura Deum Maria creatum est Dominicum templum, angelus autem ex Spiritu sancto creatum illum dixit, cur non operationem esse Trinitatis erudimur? » Et sanctus Ambrosius in libro secundo (*cap. 8*) de Spiritu sancto dicit: « Etenim, inquit, sicut legimus quia creavit Pater Dominicæ incarnationis sacramentum, creavit et Spiritus sanctus, ita et legimus quod et ipse Christus suum corpus creavit. Creavit enim Pater secundum quod scriptum est, *Dominus creavit me (Gal. iv, 4)*. Et alibi, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege (Matth. 1, 18)*. Creavit et Spiritus illud omne mysterium secundum quod legimus, quia *inventata est Maria in utero habens de Spiritu sancto*. Habes quia creavit Pater, creavit et Spiritus sanctus, accipe quia creavit et Filius Dei, dicente Salomone, *Sapientia sibi fecit domum (Prov. ix, 1)*. » Beatus nihilominus Augustinus in sermone de Trinitate hæc eadem Scripturarum testimoniis confirmat.

Et memorandus vir Alcuinus, in libro ad magnum imperatorem Carolum de fide, collecto ex sancti Augustini libro primo de Trinitate, et aliorum catholicorum patrum dictis et sensibus, quorum verba qui in suis locis legerit in hoc opere recognoscere poterit, ita dicit (*lib. vi de fide S. Trin., cap. 10*): « Quanquam, inquit, una sit natura sanctæ Trinitatis, non tamen tota Trinitas incarnata est, sed sola Filii persona humanam misericorditer suscepit naturam. Nec tamen ita Dei Filius incarnatus est, ut una esset in eo natura divinitatis et carnis. Neque enim ex Christo hoc deitas potuit esse quod caro, aut caro quod deitas, quia utraque natura, id est divinitatis et humanitatis, in sua permansit proprietate. Propterea utique humanam naturam, id est carnem rationabilemque animam, non a tota Trinitate, sed a solo Filio confitemur susceptam, in

unitatem quippe personæ, non in unitatem naturæ. Utique persona Filii non est eadem quæ Patris est aut Spiritus sancti. Unitas ergo personæ, manente duntaxat utriusque proprietate substantiæ, sicut in Christo personam non fecit duplicem, sic humanæ naturæ susceptionem non fecit sanctæ Trinitati communem. Ad personam quippe Dei Verbi tantummodo acceptio illa servilis formæ pertinet : sed nihil divinæ plenitudinis abstulit, nihil dominationis ademit in Christo humanitatis susceptio. Hinc est quod in uno eodemque Christo et humanæ naturæ veritas claruit, et divinæ naturæ incommutabilitas permanent æterna. Hoc tamen sciendum est, quod hanc servilem formam, quam solus Dei Filius accepit, tota Trinitas fecit ; quam tamen certum est a tota sancta Trinitate factam ad solam Filii Dei pertinere personam. Non enim Pater carnem assumpsit, neque Spiritus sanctus, sed Filius tantum, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine matris Virginis filius, ne filii nomen in alteram transiret personam, qui non esset nativitate filius. Dei ergo Filius hominis factus est filius, natus secundum veritatem naturæ ex Deo Dei Filius : et secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius in utraque natura, non appellatione tantum vel adoptione, sed veritate Dei Filius. » Ideo non sunt duo Christi filii, nec duo filii ; sed unus Christus, et unus filius, Deus et homo : quoniam Deus Dei Filius humanam assumpsit naturam, non personam ; in æternum suscipiens personam divinitatis, temporalem humanitatis substantiam. Homo transivit in Deum, non versibilitate naturæ, sed propter divinæ unitatem personæ, ne in sancta Trinitate quaternitas esset, non trinitas. Ecce quomodo ostendunt catholici mentitum fuisse Gøthescalcum hæreticum, quia non ita ut ipse dixit, inest unicuique personæ in sancta Trinitate propria deitas atque divinitas, sed unius ejusdemque substantiæ deitatis atque divinitatis, id est naturæ vel essentiæ, sunt tres in sancta Trinitate personæ ; quoniam si unicuique in sancta Trinitate personæ sua propria, id est specialis inesset deitas, sicut prædiximus et semper contradicendo hæreticis contradicere debemus, non esset individua et inseparabilis sancta Trinitas, et tres dii essent : et non, sicut idem imitatione filius patris sui diaboli, qui est mendax et pater mendacii, falso dicit, sola tantummodo filii deitas carnem assumpsit. Sed sola persona filii, cui proprium est, quia de Patris substantia cœternus filius sine ullo initio natus est, et unius ejusdemque substantiæ, id est deitatis, quæ est unitas Trinitatis, cum Patre et Spiritu sancto est, carnem assumpsit, quam simul tota sancta Trinitas sibimet coessentialis et cœterna ac coomnipotentes in utero semper Virginis fabricavit. Denique subjungit.

X.

÷ « Siquidem quando baptizamur, id est tingimur, ter procul dubio mergimur, et tamen propte-

A « rea trina ipsa mersio, et trinum baptismum, id est « trina tinctio, non, quod absit, tres mersiones, et « tres tinctiones, aut tria sunt baptismata : sed una « est generaliter mersio, et una tinctio, id est unum « baptismata, dicente Apostolo : » *Unus Dominus, una fides, unum baptismata* (Ephes. iv, 5).

B
C
D
Xp More suo novitates vocum, quibus semper delictatus est, et exquisivit ut sapiens videatur ad eludendam fidei simplicitatem, et in hac causa, ut suam pravam confirmare posset sententiam adinvenit. Sicut ad hoc confirmandum quod dixerat, quia Judas et Simon magus et falsi fratres de quibus dicit Apostolus, et omnes baptizati Christi baptismate qui non sunt salvandi, non fuerunt Christi sanguine redempti, cum ostensa ei fuit sententia Apostoli Petri dicentis de hæreticis : *Eum qui emit eos Dominum negantes* (II Petr. ii, 1), angustia coarctatus suam in eadem sententia expositionem adinvenit, docens duas esse redemptiones : unam qua redempti sunt, sed non in Christi sanguine baptizati illi qui non sunt salvandi, et aliam qua sunt in Christi sanguine baptizati illi qui sunt salvandi, dicens quia perire nullus poterit qui sanguine Christi redemptus fuerit, videre non valens quod dicit Petri coapostolus Paulus : *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* (Rom. vi, 5) ; et : *Peribit in tua scientia frater propter quem Christus mortuus est* (I Cor. viii, 11). Mira sunt quæ dicit, nova sunt quæ dicit. Quapropter sicut Augustinus contra Julianum scribens dicit. Mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus. Hinc in alio libro, quem ex authenticis scripturis, et orthodoxorum dictis, contra ejus et complicum ipsius dicta perversa collegimus, eum falsum dixisse convincimus, quod et cunctis sapientibus patet. De hoc vero quod dicit quia trina mersio et trinum baptismum, id est trina tinctio, non sunt, quod absit, tres mersiones et tres tinctiones, id est tria baptismata, sed una est generaliter mersio et una tinctio, id est unum baptismata, dicente Apostolo : *Unus Dominus, una fides, unum baptismata* (Ephes. iv, 5), dicat illi fides catholica : *Ev ore tuo te judicio, serve nequam* (Luc. xix, 22). Si credis et confiteris tres mersiones in nomine sanctæ Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti unum esse baptismata, quia unus est Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, unius videlicet essentiæ, unius deitatis, unius naturæ, in cujus nomine baptismata catholicum celebratur, cur sic excors existis, ut unitatem deitatis, qua Pater et Filius et Spiritus sanctus unus est Deus, divides trinam asserens deitatem. Et quia more diaboli patris tui veris falsa permisces, et mellis virus commisces, ut de veris et dulcedine mellis falsa et mortifera commendare possis, in hoc quod dixisti tres mersiones vel tinctiones unum esse baptismata, quia unus Dominus, una fides, probamus. Sed quia et dixisti non esse in baptismate tres mersiones et tres tinctiones, reprobamus et mentiri te comprobamus. Volumus tamen interrogare te, quare illæ

tres mersiones et tres tinctiones non sunt tria baptismata, sed unum baptisma. Ad quæ si tacueris, dicimus ideo tres mersiones unum esse baptisma, quoniam in unito, imo in uno nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, quorum est una divinitas, deitas, atque substantia, catholice celebratur, sicut Athanasius in libro de propriis personis et de unito nomine divinitatis (*lib. II, sub finem*) dicit: « Joannes, inquit, testatur de Domino, quia *in sua venit, et sui eum non receperunt, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus, qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan. I, 11*). Disce ergo hoc unitum nomen esse sempiternum in deitate Patris et Filii et Spiritus sancti; » sicut et unum baptisma est fidei, quod vitam æternam credentibus tribuit: quia sicut unitum nomen est in natura Trinitatis, ita et unum donum per baptismum divinitatis. Apostolus ait, *Una fides, unum baptisma* (*Ephes. IV, 5*). Idcirco quod nomen Patris sit in divinitate, hoc nomen sit et Filii in natura deitatis, sic et Spiritus sanctus identidem hoc nomen sit in substantia claritatis; quoniam *tres sunt*, sicut dicit Joannes apostolus, *qui testimonium dant, spiritus, aqua, et sanguis, et tres unum sunt* (*I Joan. V, 7*). Spiritus, inquit Leo, sanctificationis, et sanguis redemptionis **493** et aqua baptismatis, quæ tria unum sunt, et individua manent, nihilque eorum a sua connexionem se jungitur; quia, ut Augustinus, et post eum Leo in epistolis suis dicit, nec sine vera divinitate humanitas, nec sine vera credenda est humanitate divinitas. Sed et in nobis hæc unum sunt, non natura, sed ejusdem operatione mysterii. Nam, sicut beatus Ambrosius ait, Spiritus mentem renovat, aqua proficit ad lavacrum, sanguis spectat ad pretium. Spiritus enim nos per adoptionem filios Dei fecit, sacri fontis unda nos abluit, sanguis Domini nos redemit. Quod autem subjungit, sed una est generaliter mersio et una tinctio, id est unum baptisma, ille ipse nescit quid loquitur, manifestum tamen faciunt doctores catholici quia mentitur. Illæ quippe tres mersiones singillatim tres sunt, et non generaliter una mersio est, sicut tres sunt distinctæ, suaque proprietate subsistentes, atque inseparabiles in sancta Trinitate personæ, et non generaliter una persona est. Tres quidem sunt singillatim mersiones propter personarum sanctæ Trinitatis proprietatem: unum autem est baptisma, quia unus est Deus, unius videlicet essentiæ, unius deitatis, unius naturæ, ac per hoc unius nominis, quod est Deus, sancta Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, in cujus nomine baptizamur, et filii Dei efficimur, gratia renati, qui eramus filii diaboli per traducem maledicti seminis generati. Et sicut interior homo in fide sanctæ Trinitatis ad imaginem sui conditoris reformandus est: ita et exterior trina mersione abluendus est, ut quod invisibiliter Spiritus operatur in anima, hoc visibiliter sacerdos imitetur in aqua. Nam originale peccatum tribus modis actum est, deiectione, consensu,

et opere. Itaque et omne peccatum aut cogitatione, aut locutione, aut operatione efficitur. Idcirco plici generi peccatorum trina videtur abluere, vel propter originale peccatum, quod tribus valet ad perdilionem, vel propter illius provectoris ætatis hominibus voluntate, et facto adduntur. Et recte homo, qui ad iræ sanctæ Trinitatis conditus est, per invocationem sanctæ Trinitatis ad eandem revocatur, ut qui tertio gradu peccando cecidit in tertio elevatus de fonte per gratiam resurgat. Et hinc sanctus Hieronymus in secundo tractatus Epistolæ sancti Pauli ad Ephesios sententiæ, *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes. IV*), de trina mersione et tinctura ita dicit: « Si enim, inquit, uerum mant Ariani, Deus Pater solus est Deus, et consequentia solus erit Dominus Jesus Christus, pater erit Dominus, nec filius Deus. Sed non sit vel in dominatione deitas, vel in deminatio. Unus est Dominus, et unus est Deus, Pater et Filii dominatio una divinitas est. Pater et fides una dicitur, quia similiter et in Patre et in Filio et in Spiritu sancto credimus unum baptisma. Eodem enim modo in Patre et in Filio et in Spiritu sancto baptizamur et credimus, ut Trinitatis unum appareat sacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris et Filii et Spiritus sancti, sed in uno nomine, quod dicitur Deus. Et miror qua consequentia in uerbo, eodem opere, et eodem sacramento, diversitatem Arius, Macedonius, et Eunomius aspiciunt, concordante in impietate dissonantes, creaturæ in Filio et Spiritu sancto cœnosus tenentes, diversos hæreseon rivulos duxerunt baptismata esse contendit, et contra omnes hæreses ut sciunt se non habere baptismata, sed in uno nomine, quod dicitur Deus. Potest unum baptisma et ita dici, quod licet ter baptizemur propter iræ sanctæ Trinitatis, tamen unum baptismum habemus. Unum quoque baptisma est in aqua, et in igne, et de quo Dominus loquitur: *Baptizati estis in aqua et in igne* (*Luc. XII, 50*); et alibi: *Baptizati estis in aqua et in sanguine* (*Marc. X, 39*). »

His sanctorum Hieronymi, et Athanasii, et Augustini, Leonis, atque Gregorii, de his dictis hæc quæ sequuntur excerptimus, et ostenditur, non vere dixisse Gothescalcum trinitatem unam generaliter esse mersionem; sed esse, quoniam sicut in sancta Trinitate sunt tres personæ subsistentes inseparabiles personæ, et una deitas atque natura, voluntas, potentia, et in Domino Jesu Christo sunt etiam duæ naturæ divinitatis et humanitatis, et una persona, qui, ut dicit Joannes apostolus, *verbum et aquam et sanguinem, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine* (*I Joan. V, 6*), ut corpus ejus, qui

Ecclesia, lavacro rigaretur et poculo : ita in uno baptis-
mate, quod in remissionem peccatorum in sola
catholica sub tribus mersionibus contra fraudem
Sabellianorum, sicut in quibusdam provinciis in
nomine sanctæ Trinitatis sub una mersione contra
fraudem Arianorum celebratur ab Ecclesia traditio-
ne fidei, quoniam in una fide nihil officit sanctæ
Ecclesiæ consuetudo diversa, tres sunt qui testimo-
nium dant, spiritus, aqua et sanguis, et tres unum
sunt, non natura, sed mysterio et individuo sacra-
mento, nihilque eorum a sui connexionem sejungitur.
Et sicut quidquid a singulis sanctæ Trinitatis perso-
nis legitur operatum, indubitanter credere debemus
ipsam sanctam Trinitatem inseparabilis substantiæ
et deitatis inseparabiliter operari, quamvis certissi-
mum sit Patrem esse solum qui dicit : *Hic est Filius
meus dilectus, in quo mihi complacui* (Matth. III, 17) :
et Filium esse solum, super quem illo vox solius
Patris sonuit, quando in Jordane secundum homi-
nem baptizatus est idem unigenitus Deus qui car-
nem solus accepit : et Spiritum sanctum Patris et
Filii solum esse, qui in specie columbæ super eum-
dem baptizatum ascendentem de aqua descendit,
495 et quinquagesimo die post resurrectionem
Christi fideles in uno loco positos in linguarum
ignearum visione adveniens replevit. Illam tamen
verissime vocem, qua solus locutus est Deus Pa-
ter, et illam carnem qua solus homo factus est
unigenitus Deus, et illam columbam in cujus specie
Spiritus sanctus super Christum descendit, illasque
linguas igneas, in quarum visione fideles uno loco
constitutos replevit, opera esse totius sanctæ Trini-
tatis, id est unius Dei, qui fecit in cœlis et in terra
visibilia et invisibilia, verissime credendum est. Ita
in uno catholico baptisate, quamvis spiritus men-
tem hominis renovet, sanguis spectet ad pretium,
aqua proficiat ad lavacrum, quæ non tantum carnem
depositione sordium mundat, sed fide et bonæ con-
scientiæ interrogatione in Deum sordes peccatorum
omnium purgat : tamen nec redemptio sanguinis fit
sine sanctificatione Spiritus, vel ablutione vitalis
fontis, nec sanctificatio spiritus sine redemptione
vivifici sanguinis, et emundatione aquæ regeneratri-
cis, nec ablutio aquæ sanctificatæ in verbo, ad quam
cum accedit verbum sicut ad elementum, efficitur
sacramentum, fit sine sanguinis redemptione, et
spiritus regenerantis sanctificatione. Et Leo papa ad
universos episcopos per Siciliam constitutos (*epist. 5,
c. 3*) de trina mersione et uno baptisate dicit,
quod in suo loco plenius lector inveniet. « Baptis-
matis, inquit, regula et mors intervenit interfectione
peccati, et sepulturam triduanam imitatur trina de-
mersio, et ab aquis elevatio resurgentis ad instar est
de sepulcro.» (*lib. 1, ep. 41.*) Et sanctus Gregorius in
epistola ad Leandrum Spalensem episcopum scri-
bit : « De trina, inquit, mersione baptismatis nihil
responderi verius potest, quam ipsi sensistis, quia in
una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo
diversa. Nos autem quod tertio mergimus triduanæ

A sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertio ab
aquis infans educitur, resurrectio triduanæ temporis
exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ
Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc
aliquid obsistit baptizandum semel in aquas mergere
quia dum in tribus subsistentiis una substantia est,
reprehensibile esse nullatenus potest infantem in
baptisate in aquam vel ter vel semel immergere,
quando et in tribus mersionibus personarum trinitas,
et in una potest divinitatis singularitas designari. Sed
si nunc usque ab hæreticis infans in baptisate ter-
tio mergebatur, sciendum apud vos esse non censeo :
ne, dum mersiones numerant, divinitatem dividant,
dumque quod faciebant facitis, morem vestrum se
vicisse gloriantur.» Quia Dominus jussit discipulis
suis : *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et
Filii et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19); hanc in bap-
tisate fraudem tunc temporis hæreticorum sanctus
Athanasius in libro septimo detexit, dicens : « Cur tu,
hoc nomine deitatis sublato Patris et Filii et Spiritus
sancti, baptizas dicendo : « Baptizo te in Patre et
Filio et Spiritu sancto, et non in uno nomine, ut
hoc modo artificiose possis unitum nomen tacite
496 in deitate non nominare vel abnegare, sed et
nomina in personis tantum modo velis assignare?
Quia si sic erat celebrandum baptisma, obtinuerat
Arianorum assertio, qui sic sentiunt, ut ubi nomina
in personis indicant, ibi simul in ipsis nominibus et
singulas vel diversas substantias esse pronuntiant :
ut unitatem in concordia tantum charitatis esse assi-
gnent, et non potius in unita plenitudine divinitatis.
C Et quid amplius ad hæc? Ut unitatis Dei Patris no-
men et Filii et sancti Spiritus, quasi adoptivum nuper
accepisse profiteantur, ut hoc nomen videatur esse
ex nihilo, aut ex altero vel tempore, quod absit. Nam
verum nomen deitatis ubi nominant, ad unam tan-
tummodo personam Patris hæc dicendo ascribunt, ut
veram unitatem divinitatis dividant. Qui ubi nomina
tantum in personis deberent discernere sibi simul cum
ipsis nominibus et tres naturas distinguunt; quod
absit a nobis ne istam blasphemiam admittamus :
cum unum nomen deitatis in Trinitate uniter dictum
accipiamus, per quod et remissa peccatorum bap-
tisate operante suscipimus, nomina vero tantummodo
singula in personis perfecte distinguamus Rogo, ubi
vinculum fidei invenitur apud eos, si substantiæ uni-
tatis nomen in Trinitate non tenetur? Rogo, quomodo
tres unum sunt, si diversa in utrisque est natura divi-
nitatis? Rogo, quemadmodum septiformem hunc spi-
ritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et vir-
tutis, spiritum scientiæ et pietatis, spiritum timoris
Domini consequi merentur, quem de unita plenitudi-
ne divinitatis consistere non consententur? Dicente Do-
mino : *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris et
Filii et Spiritus sancti* (Mat. xxviii, 19), vere in hoc ergo
satis admiror, et stupore mentis diutius intentus col-
laudo tantam sacratissimæ Trinitatis gloriam in duo-
decim penitus verbis distinctionum vel syllabis bre-
viter fuisse expositam (*lib. viii, eodem in princ.*) Vere

in hoc edicto unitum deitatis nomen Patris et Filii et Spiritus sancti missum est. Vere in hac sacratissima Trinitate nomina in personis tantum distincta sunt. Vere nec lex, nec prophetæ, tam absolute hoc arcanum mysterium revelaverunt. Super omnem custodiendam divinitus dispositionem hoc maxime custodiendum est. Vere super hoc non est quod addi, et ab hoc non est quod minuere. Vere in hoc donum baptismi præceptum addere vel minuere blasphemum est. Cur indicatur unitas, si in Patre et Filio in Spiritu sancto non una atque eadem ipsa æqualis plenitudo divinitatis? (Lib. II, post med. versus finem.) Et in secundo libro apostolos missos fuisse, inquit, ut baptizarent omnes gentes in unito vel communi nomine deitatis. *Ite, baptizate omnes gentes in nomine, et sic prosecutus est per singulas personas, Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Mat. xxviii, 19).* « Nunquid potest contra regulam traditionis evangelicæ censuræ, de hoc unito Trinitatis nomine sancti Spiritus sublata vel tacita persona, baptisma in Ecclesia perfectum celebrari? Absit. Disce ergo hoc unitum nomen esse sempiternum in deitate Patris et Filii et Spiritus sancti. » Sicut unum et baptisma est fidei, quod vitam æternam credentibus tribuit, quia sicut unitum nomen est in natura Trinitatis, ita et unum donum per baptismum divinitatis. Apostolus ait : *Una fides, unum baptisma (Ephes. iv, 5)*, idcirco quod nomen Patris sit in divinitate, hoc nomen sit et Filii in natura deitatis, sic et sancti Spiritus identidem hoc nomen sit in substantia claritatis; quæ hic breviter collecta lector latius in suis locis inveniet. His catholicorum doctorum verbis et sensibus comprobatur non esse ratum Gothescalci testimonium, quod de suo a semetipso loquens, et gloriam propriam quærens, et non de catholicorum scripturis ad suam confirmandam sententiam protulit, dicens : Trina mersio, et trinum baptismum, id est trina tinctio, una est generaliter mersio et una tinctio, id est unum baptisma; quoniam catholicum baptismum, ut beatus ostendit Gregorius, una mersione, sed in nomine sanctæ Trinitatis fieri potest. Unde idem Athanasius in primo libro de Fide (*de unito nomine Trinitatis*) dicit : « Nunquid gentes, quibus introitus januæ credentibus ad vitam æternam patens est, tantummodo in personam Patris baptizantur, et non in tres, quorum nomina hæc sunt in personis distincta, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quibus est una natura divinitatis, sicut scriptum est : *Euntes baptizate omnes gentes in nomine, et sic prosecutus est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti? (Mat. xxviii, 19).* Unde in his personis per omnia in deitate divinitatis unitum nomen est, et per ipsa nomina Trinitatis tantum personæ distinctæ sunt. » Et paulo post : « Spes fidei nostræ hæc est, ut in baptismo unitum divinitatis nomen prius confitearis, ut remissa peccatorum in his personis consequi merearis. » Quod autem in historia sacra Actuum apostolorum legimus, apostolos in nomine Jesu Christi gentiles baptizari jus-

sisse, ita idem Athanasius in libro decimo « Non enim scriptum est (*lib. xi, post med.*) quia baptizaverunt in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, sed tantum in nomine Jesu, sed prævaricati, absit. Nam licet Filii nomen modo dicatur, habet tamen Patrem et Spiritum sanctum pronuntiatum, sicut Scripturis scribitur. Itaque et Spiritus sanctus sabaoth et est cum Deo et cum Filio a Seraphin et propter quod hæc ter dicebant : *Sanctus, sanctus*, ut Trinitatem pronuntiarent. » Et Ambrosius in libro de Fide, quia per unitum nomen impletum mysterium sit. Christum dicas, et Deum Patrem a quo unum est Filium, et ipsum qui unctus est Filium, et Spiritum sanctum designasti. Scriptum est enim *sum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus in Spiritu sancto (Act. x, 38)*; sive Patrem dicas, et Spiritum sanctum oris pariter indicasti, si etiam corde comprehendas : quæ latius in scripturis inveniet. Nunc autem Ecclesia catholicos hæreticorum oppilans, ipsa verba Dei vatoris, de quo scriptum est : *Ipsa est enim baptizata*, in consecratione sacri baptismi credendo ad justitiam, et ore confitendo ad pronuntiat. Tandem Gothescalci subnecti

XI.

« Pari etiam modo cum dicitur trina fides, ut est illud Sedulii fidelis poetæ tuum. Iste fidem ternam, ast hic non amplectitur unitatem. Non tres, quod absit, fides, sed una est fides, sicut dicitur in cente Apostolo : Una fides. »

XP. Hoc quod quasi noviter, unde miretur licet, fidem numero plurali enuntiatam nobis nescire voluit, sanctus Hilarius antiquus et verus Pater in libro de synodis nobis recto sensu monstravit, quod iste præsumptionis sensu præmonstravit. « Nihil, inquit sanctus Hilarius videri vobis debet, fratres charissimi, quod iter exponi fides cæptæ sunt. Necessitate furor hæreticus imposuit. » Propter stylos in scripturis sancto Hilario dictæ sunt plurali numero : propter pluralitatem scriptionum, non propter divisionem; quia, ut Hieronymus in secundo libro Commentii Epistolæ Pauli ad Ephetios dicit : « Propterea et fides una dicitur, qui- liter in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum credimus. » Et Augustinus in decimo libro (*cap. 11*) de Trinitate : « Non enim fides una est, sed una in genere. Propter similitudinem tamen, et nullam diversitatem, magis unam esse quam multas : et tamen qui dicit : *O magna est fides tua (Matth. xv, 28)*; et aliter dicitur *fidei, quare dubitasti? (Matth. xiv, 31)* cuique esse significabat : sed ita dicitur ea des una, quemadmodum eadem volentium una. » Et sanctus Gregorius in quarto libro de Moralibus (*cap. 2*) dicit quia sine fide nec iustus vivit. » Fides autem, de qua Apostolus dicit

Deus, una fides, unum baptisma (Ephes. iv, 5), catholica est, a qua una Dei columba, videlicet sancta Ecclesia, nuncupatur catholica, id est universalis. Quæ est una domus, de qua præcipit Dominus per Moysen nihil efferri de paschali agno (Exod. xii, 46), sed in ea illum comedi : et arca, extra quam diluvii tempore quisque repertus non potuit vivere. Hæc, inquam, una fides est, non numero, sed genere generalis generaliter omnium in unitate sanctæ Ecclesiæ consistentium. Quæ sicut in apostolico symbolo continetur, sanctis apostolis a Christo est tradita, et ab eorum successoribus, viris scilicet apostolis, in sex generalibus synodis, id est Nicæna tempore sancti Silvestri papæ ac Constantini, Constantinopolitana temporibus Damasi et Gratiani, Ephesia sub Cælestino et Theodosio, Chalcedonensi temporibus Leonis et Martiani, item Constantinopolitana sub Vigilio et Justiniano, itemque Constantinopolitana sub Agathone et Constantino juniore, atque in cæteris catholicis synodis a sede apostolica confirmatis prolata; quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, salvus esse non poterit, sed in æternum peribit. Unde sanctus Augustinus in Commento Epistolæ Joannis dicit : « Fides cum dilectione fides est Christiani, 499 fides sine dilectione fides est dæmonis. Qui autem non credunt pejores sunt quam dæmones. Nescio quis non vult credere in Christum : adhuc nec dæmones imitatur. Jam credit Christum, sed odit Christum. Habet confessionem fidei in timore pænæ, non in amore coronæ. Adde huic fidei dilectionem, ut fiat fides de qua dicit apostolus Paulus : *Fides quæ per dilectionem operatur* (Gal. v, 6), invenisti Christianum, invenisti civem Hierusalem. » Et in Evangelio Joannis : « Quis salubriter est fidelis, nisi ea fide quæ per dilectionem operatur? » Et Prosper ex Augustini verbis : « Non sunt bona opera, nisi quæ per fidem et dilectionem fiunt, quia alterum sine altero nullius virtutis fructum parit. » Ea propter Gothescalcus hæreticus, qui unam fidem secundum Apostolum verbotenus prædicat, se fidem veram in præmissis suis scriptis non habere demonstrat : quia dicit Paulus apostolus : *Fides quæ per dilectionem operatur*. Dilectione autem Latine, charitas Græce dicitur : de qua dicit idem apostolus Paulus : *Si tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem non habeam, nihil mihi prodest* (I Cor. xiii, 3). Unde sanctus Gregorius in libro decimo octavo (cap. 14) Moralium dicit : « Alii quippe prava de Deo sentiunt, alii recta de auctore tenent, sed unitatem cum fratribus non tenent. Illi errore fidei, isti vero schismatis perpetracione divisi sunt. Unde et in ipsa prima parte Decalogi utrarumque partium culpæ reprimuntur, cum divina voce dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (Deut. vi, 5), atque mox subditur : *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (Mat. xxii, 36; xxviii, 39). Qui enim de Deo perversa sentit, liquet profecto quia Deum non diligit. Qui vero de Deo recta sentiens a sanctæ Ecclesiæ uni-

tate divisus est, constat quia proximum non amat, quem habere socium recusat. Quisquis ergo ab hac unitate matris Ecclesiæ suæ, per hæresim de Deo perversa sentiendo, seu errore schismatis proximum non diligendo dividitur, charitatis hujus gratia privatur. » Et item præfatus Apostolus dicit : *Finis enim legis est Christus ad justitiam omni credenti* (Rom. x, 4). Unde Augustinus : « Et quidem finis, inquit, Christus, quia Christus Deus est finis præcepti charitatis, et Deus charitas, qua et Pater et Filius et Spiritus sanctus unum sunt. » Miramur etiam, quando misit de Sedulio ternam fidem, quæ ponere omiserit de Aratore trinam fidem, qui figurate loquens in libro primo dicit,

Trina fides vocat hunc, quo nomine fonte lavatur.

Et de nomine trino in secundo libro dicit,

Non cogit ad undam
Nostra fides hunc ire iterum, qui nomine trino.

Et de fidei terum in primo libro figurate loquens,

Nona fuit tunc hora magis, qua rectius hora
Prodiret jam trina fides et tertia simplex.

Cum ad suam confirmandam sententiam ad testimonium devocaverit dixisse illum trinam potestatem, sicut et Prudentium trinam 500 pietatem, de quo quiddam supra respondimus, ubi et hæc quæ de Sedulio, Aratore, et Prospero subjungemus congruentius poneremus, nisi hoc sollicitius attenderemus, ut ad singulas suas tergiversationes, et inordinatas repetitiones obvias illi sententias ex simplicis et catholicæ fidei doctorum dictis opponeremus. Denique ad hoc quod dixit Arator, metrica necessitate coactus,

Trina fides vocat hunc quo nomine fonte lavatur.

Et :

Non cogit ad undam
Nostra fides hunc ire iterum, quia nomine trino
Dognata prava trahunt.

Sufficientissime catholici doctores et in præcedentibus et in subsequentibus referunt, non trinum, sed unum unius Dei nomen esse, in quo in unitate catholicæ fidei a Domino baptizari jubentur, et credentes uno Christi baptisate, in quo solo fit remissio omnium peccatorum, a catholicis baptizantur. Unde Ambrosius in libro 1 de Fide (libro 1, c. 1) : « Si, inquit, unus Deus, unum nomen, una potestas, una est Trinitas. Denique dicit : *Ite, baptizate gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 1). In nomine utique ait, non in nominibus. Ipse etiam dicit : *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Unum dixit, ne fiat discretio potestatis : *sumus* addidit, ut Patrem Filiumque cognoscas, quod perfectus Pater perfectum Filium genuisse credatur, et Pater ac Filius unum sint, non confusione personæ sed unitate. » Quod dixit Arator in secundo libro,

Ipse (quin Joannes) viam memorans, cunctis baptisma
[futurum].
Post aliud, quod jure datur, quod trina potestas
Illustrare solet. . .

et in primo figurate loquens, similiter metri necessitate,

Nam trina potestas

Colligit hanc prolem, numerum partita per æquum.

Et omnes catholici apertissime de Scripturis sacris ostendunt, non partitam, sed unam et individuum esse operationem, unam et inseparabilem potestatem sanctæ, et inseparabilis Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti; ut Ambrosius in libro primo capite sexto (*lib. 1, c. 6*): « Cum enim, inquit, eadem faciat Filius opera quæ Pater facit, et quos vult vivificet Filius, sicut scriptum est, nec differens potestate, et liber est voluntate: ita et unitas servatur, quia et virtus Dei in divinitatis proprietate est, et libertas non in aliqua differentia, sed in unitate est Trinitatis.» Et item secundo libro capite quarto: « Didicimus unam Patris et Filii esse imaginem, unam similitudinem, unam sanctificationem: didicimus unam operationem, unam gloriam, unam quoque divinitatem. Unus ergo et solus Deus, quia scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (Mat. iv)*. Unus Deus, non ut ipse sit Pater et Filius, sicut impius Sabellius asserit, sed quia Patris et Filii Spiritusque sancti una divinitas sit: ubi autem una divinitas, una voluntas et una præceptio. Denique **501** ut scias et Patrem esse, et Filium esse, et unum opus Patris et Filii esse, Apostolum sequere qui dixit: *Ipse autem Deus et Pater noster, et Dominus Jesus dirigat viam nostram ad vos (I Thess. i, 11)*, et Patrem loquitur, et Filium loquitur: sed unitas directionis est, quia unitas potestatis est.» Verum et ille ipse Arator evidentius se non proprie, sed figurate in hoc fuisse locutum, in eodem libro capite decimo evidenter ostendit, cum dicit:

Deus arbiter orbis

Personis tribus est, in quo simul una potestas.

Et capite nono:

Ecce tot egregiis unum cor vivere turmis
Incipit, atque animam populus nanciscitur unam.
Quis dubitare queat mysteria dogmatis, unum
Personas tres esse Deum, cum millia vulgi
Conveniunt sub mente pari, numerique frequentis,
Portatura crucem, Dominumque secuta fidelem?

Et capite tertio:

Tertia sidereis inclaruit hora loquelis.
Hunc numerum Deus unus habet, substantia simplex
Personis distincta tribus.

Et item capite vigesimo primo:

Ter sonuit Domini vox, quæ dictata saluti est.
Hoc genitor natusque simul, sanctusque peregit
Spiritus: hinc fidei pugnax cadit Arius, unum
Personas tres esse negans, Sabellius unum.

Prosper quoque in libro Promissionum et Prædictionum dicit: « Charitatem Dei, trinæ majestatis unitatem, supereminentem viam duce gratia sequemur.» Et quia improprie dixerit trinam majestatem, ipse in eodem libro demonstrat dicens (*de gloria Sanct. c. 8*): « Paulus apostolus dicit: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (I Cor. xiii, 12)*, quemadmodum sancti vident Deum Trinitatem, Patrem et Filium, Filium in Patre, Spiritum sanctum in Patre et Filio.» Si ergo Filius in Patre, Spiritus sanctus in Patre et Filio, quia unus

sunt Deus, horum est et una majestas, sicut idem Prosper in libro Sententiarum dicit (*sent. 324*): « Quod Pater cum Christo facit Christus facit, et quod Christus cum Patre facit Pater facit, nec seorsum agit aliquid inseparabilis charitas, majestas, potestas, sicut ipse Dominus dicit: *Ergo et Pater unum sumus (Joan. x, 30)*. » Sunt etiam plures versus beati Ambrosii de ternarii numeri excellentia nobilissimi, in quibus dicit:

Omnia trina vigent sub majestate Tonantis:

Tres Pater, et Verbum, sanctus quoque Spiritus unum.

Qui in multis locis, imo in omnibus ubicunque hinc loquitur, unam majestatem dicit esse Patris et Filii et Spiritus sancti. Unde pauca exempli gratia hic ponere dignum duximus. Ait enim in libro tertio de Spiritu sancto capite vigesimo secundo: « Nunc unitatem majestatis **502** licet in Patre, Filioque, et Spiritu sancto cognoscere.» Et post aliquanta: « Una igitur visio, una præceptio, una majestas.» Et Athanasius: Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.» Et Augustinus frequentissime hoc idem in libris de Trinitate dicit. Nam et quod venerandus Sedulius, sicut coactus metri necessitate, trinam fidem et in eodem Paschali opere posuit, dicens:

Quod simplex triplicet, quodque est triplicabile simplex;

Beatus Augustinus in libro sexto de Trinitate improbat dicens (*cap. 8*): « In ipso igitur Deo, cum adhæret æquali Patri Filius æqualis, aut Spiritus sanctus Patri et Filio æqualis, non fit major Deus quam singuli eorum, quia non est quo crescat illa perfectio summæ Trinitatis. Perfectus autem sive Pater, sive Filius, sive Spiritus sanctus, et perfectus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus: et ideo Trinitas potius quam triplex dicenda est.» Quapropter non succurrit pravo sensui Gothescalci testimonium fidelis poetæ Sedulii, qui rectum fidei sensum lege metri constrinxit, quæ non præjudicat veræ fidei simplicitati. Quæ videlicet fides, non per oratores, sed per pisces sibi subjugavit imperatores. Unde quia Gothescalcus non voluit, et non valuit, devotus lector intelligere debet hæc a Sedulio, Aratore, et Prospero tropice per metonymiam, id est per transnominem cujus species multæ sunt, dicta. Qui tropus non solum in metro, et in sæculari litteratura, atque in communi locutione, sed etiam in authentica Scriptura sacra, et in catholicorum dictis sæpius reperitur ornatus aut causa necessitatis, unde hic de singulis testimonia ponere non necessarium duximus. Hoc tantum dixisse sufficiat, quia trinam pietatem Prudentius, trinam potestatem Arator, trinam majestatem Prosper, pro personis Patris et Filii et Spiritus sancti, qui relative in sancta Trinitate dicuntur substantialia nomina, pietatem, potestatem, majestatem posuerunt, quæ non plurali, sed semper singulari numero in singulis et in tribus simul personis proprie dicuntur, quorum est una pietas, una potestas, una majestas, et quidquid ad se, id est de Deo, substantialiter dicitur, sicut et illi ipsi in iisdem

Opusculis suis ostendunt. De qua figurata vel translativa locutione sanctus Athanasius in libro primo de Trinitate dicit (*de unit. nom. Trinit.*): « Ergo, inquit, postulo a te, qui legis hanc istius scripturæ meæ fidei catholicæ professionem, ne hinc superflua vel profusa verba perquiras; sed strictim capaciter, imo specialiter, cum summo studio dicta ad stylum sacræ Scripturæ conferas, et secundum regulæ æquitatem justitia moderante perpendas. » Unde jam accipe non diserta, sed fortia, neque terrena signa, sed vera cælestia documenta, neque philosophorum hæretica prava commenta, sed perfecta apostolica arcana sacramenta, neque grammatica quæ superflua est doctrinæ sapientiæ, sed ex evangelicis Scripturis super melle et favor dulciora et meliora divina 503 præcepta. Disce itaque quia in hoc sophistæ hujus mundi stulti vel muti facti sunt, quoniam sapientiam veram non cognoverunt, ei ideo reprobi facti sunt. » Hæc manifestum de ipsius scriptis est legisse improbum et pertinacissimum Gothescalcum; sed sicut sanctus Hilarius reprobam plebem de resurrectione Christi fecisse dicit inquit, Hæc vidit Judæa mendax, hæc negat cum viderit, sic et Gothescalcus de his quæ hinc legerat, aut in totum dimisit, aut prave interpretando negavit, aut sicut facere solent hæretici, quia malo voto legit quod legit, ex retributione justitiæ intelligere bene non valuit, idque ad pravitatem sui sensus inflectens, sicut voluit posuit. Quod autem apertissime bene dictum invidit, etiamsi oculo corporis vidit, oculo mentis videre non voluit, et idcirco ac si non visum transiit, juxta proverbium Gothicum, *Capra C insca hortum videt, sepem nusquam*. Et in sua conclusione, quinimo fidei rectæ concussione, Gothescalcus dicit:

XII.

÷ « Itaque qui nolunt cum Sabellianis hæreticis in æternum habere societatem, credant, confiteantur, colant, canant cum catholicis catholici tritheotiam, trinam deitatem, trisagium, trinam sanctitatem, trinam vitam, sapientiam, gloriam, trinum timorem, trinum amorem, trinam charitatem, trinam lucem, salutem, virtutem, pacem, claritatem, trinam majestatem, potestatem, pietatem: quippe cum debeamus etiam ternam, seu trinam amplecti fidem, quam negant perversi Sabelliani per suam perfidam impietatem. »

xp. Cui primo referimus, quia secundum suam sapientiam, non sibi a Deo datam, sed vel a malo spiritu sibi inspiratam, vel a se stultam inventam, debuerat cognoscere differentiam esse inter ternam et trinam, sed dicens se esse sapientem stultus factus est. Notum quippe est quoniam duplex est numerus. Unus quidem, in quo unitatum repetitio pluralitatem quare et numerum facit: alter vero, qui in rebus numerabilibus constat, in quo repetitio atque pluralitas unitatum non facit numerabilium rerum numerosam diversitatem; et terna, non inter compositos, sed inter simplices numeros, qui nul-

lam partem aliam habent nisi solam unitatem, ab his qui de numeris disputant computatur: et non ab eo numero, quo numeramus cum tres dicimus, sed ab eo cum ter dicimus venit, habens collectivam significationem. Unde Beda in compoti lectione. « Quatuor Idus capiunt ternos. » Et Hilarius in hymno: « Et refert fragmenta cœnæ ter quaternis corbibus. » Et cum dicimus semel, bis, ter, quatuor, et his similia motum exprimimus: et cum dicimus unum, duo, tria, quatuor, et cætera, non motum exprimimus, sed repetitione unitatum pluralitatem ostendimus. Et a ter adverbialiter prolatum terna, et cætera in hunc modum, ut a quater quaterna dicuntur: a numero autem, quo numeramus cum dicimus tres vel tria, trinus dicitur. Unde in personis dicitur Deus trinus, qui in deitate est unus. Sed et 504 ab eodem numero, unde trinus dicitur, etiam trina deducitur, ex unitatum repetitione, sicut et trinus, exprimens pluralitatem quam unitas deitatis non recipit. Verum et quia tres vel tria, primus scilicet impar numerus, quo trinitas ex monade et primo pari numero constat, signatur, quia quisquis hic dilectionem Dei et proximi servare studuerit, ipse ad æternam vitam pertinet, et omnis nostra perfectio in illius unius veri Dei, qui est sancta Trinitas, contemplatione erit, in cujus nobis visione jam minus aliquid salutis et gaudii non erit. Et ita ex hoc numero quædam divisio in eo quod dicitur trina, veniens a numero quo numerantur vel tres tria, monstratur, et quamcunque divisionem vel pluralitatem unitas deitatis, tota in singulis, tota in tribus simul sanctæ Trinitatis consistens personis, non patitur. Liquet perfecto quia trina deitas catholice dici non valet. Legat qui velit quod de numero dicimus in sanctorum Augustini, Gregorii, Boetii, et Bedæ dictis, et quod sanctus Augustinus in sermone trigesimo sexto Evangelii Joannis dicit loquens de divinitate: « Est ibi, inquit, aliquid ineffabile, quod verbis explicari non possit, ut et numerus sit, et numerus non sit. Videte enim, si non quasi apparet numerus Pater et Filius et Spiritus sanctus Trinitas. Si tres, quid tres? deficit numerus. Ita Deus numerus recedit a numero, nec capitur numero, quia tres sunt tanquam numerus, si quæris quid tres, non est numerus. Unde dictum est: *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus (Psal. cxlvi, 5)*. Hoc solum numero insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt. » Et sanctus Gregorius in libro trigesimo Moraliu Job, de sententia Evangelii Joannis (cap. 5): « *Palam, inquit, de Patre annuntiabo vobis (Joan. xvi, 25)*. Palam quippe de Patre annuntiare se asserit, quia per patefactam tunc majestatis suæ speciem, et quomodo ipse gignenti non impar oriatur, et quomodo utriusque Spiritus utriusque cœternus procedat ostendit. Aperte namque tunc videbimus, quomodo hoc quod oriendum est, ei de quo oritur subsequens non est, et quomodo is qui processione producit a proferen-

tibus non præitur. Aperte tunc videbimus, quomodo et unum divisibiliter tria sunt, et indivisibiliter tria unum. Lingua ergo tunc narrantis Dei est visa claritas sublevantis. » Et sanctus Sophronicus Hierosolymitanus episcopus, cujus catholicissima epistola in sexta synodo acceptissima fuit, in ea ad locum dicit : (*synod. vi, act. 9*) : « Neque unum quatenus unum est tria recipitur, neque tria secundum quod tria sunt unum advertitur : quod est mirabile et omni certe plenum stupore. Hoc ipsum namque et numerabile est, et refugit numerum : numerabilis quidem tribus suis subsistentiis, refugit autem numerum singularitate deitatis. Unitas quippe ejus essentiæ atque naturæ numerari penitus non permittit, uti non et differentiam deitatis introducat, et ex hoc essentiæ et naturæ et deorum multitudinem unum principium **505** faciat. Omnis itaque numerus contubernalem habet differentiam, et omnis differentia atque discretio numerum superinducit ut insitum. Numeratur ergo beata Trinitas, non essentiis, non naturis, nec diversis deitatis ternisve dominationibus. Absit, sicut insaniunt Ariani, et novi tritheicæ, id est trinæ deitatis latratores. » Beatus etiam Ambrosius in secundo libro de Spiritu sancto, demonstrans quoniam trina pluralitatem habet quam non recipit deitas, inter alia dicit (*cap. 11*) : « Quia tertio repetita figura mysterii operationem Trinitatis expressit, et ideo in mysteriis interrogatio trina defertur, et confirmatio trina celebratur. » Et in libro secundo de Fide : « Quid sibi vult sub uno nomine sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? si una laudatio? cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater et Filius et Spiritus sanctus sanctitate unum sunt? » Et item : « Quia divisionem quam trina demonstrat non patitur unitas deitatis, sicut multoties et in libro secundo de Spiritu sancto dicit : Abraham tres vidit et unum adoravit, quia unus Deus, unus Dominus, et unus Spiritus : et ideo unitas honoris, quia unitas potestatis. » Et item : « Quomodo enim pluralitatem recipit unitas divinitatis. cum pluralitas numeri sit, numerum autem non recipiat divina natura? » Unde putamus venerandum Sedulium, non trinam, sed ternam fidem in lege metri ponere voluisse, ut demonstraret quasi quodam inseparabili sed non locali motu, qui in terna est a ter derivata, qui Filius de Patre sit natus, et de Patre ac Filio Spiritus sanctus procedat. Singula videlicet quæque persona plenus et perfectus Deus, unusque plenus et perfectus Deus, tres simul unius Deitatis in hac sancta Trinitate personæ, quas denegabat Sabellius dicens : Idem Deus quando vult Pater est, quando vult Filius est, quando vult Spiritus sanctus est : idem vero unus est. Et noluit dicere trinam fidem, ne pluralitatem signando, numerabilem faceret unam individua atque inseparabilis Trinitatis deitatem, quam Arius denegabat. Contra hos quippe in Paschali carmine scripsit. Propter unam enim eandemque deitatem, quæ tota est in singulis, tota in tribus simul personis, indivi-

A dua atque inseparabilis sancta Trinitas dicitur. Hoc quippe inseparabile vere dicitur, quod nullatenus separationem potest recipere. Nam quod non separatur sed separari potest, inseparabile non est. Quod si quisquam separari posse putat tres unius deitatis personas, quæ una deitas separari non potest in tribus personis, non Trinitas inseparabilis est dicenda, sed unitas. Ne quis vero mihi forte succenseat, quod dixi voluisse demonstrare Sedulium, non locali motu Filium a Deo Patre genitum, Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, in eo quod ternam et non trinam fidem dixit, satisfacio meo lectori hoc me inde intellexisse, cum dixi non locali motu, quod Dominus dicit : *Qui me misit verax est* (*Joan. viii, 26*) ; tanquam diceret, inquit Augustinus : **Ideo** verum dico, quia Filius veracis veritas **506** sum, Pater verax est, Filius veritas, sicut a Patre Filius, ita a veraci veritas, et hoc est : *Qui misit me*. Scriptura etenim sacra suæ profunditatis altitudinem nobis pandere nequiret, si non ita se nobis contemperasset, ut nos ad suam intelligentiam sublevaret, et interiora sua per ea quæ circa nos sunt, nostroque more loquendo demonstrans, velut si urbanus et quidam doctiloquus, puerulo blandiens et applaudens, de industria verba molliat, et quodammodo infringendo balbutiat. Hinc ergo *misit* cum dicitur, quasi quidam motus videtur. Sed his localis motus non est intelligendus, sicut nec in eo quod dixit : *Dedit, quin Pater, Filio habere vitam in semetipso* (*Joan. v, 26*), quod est, genuit Filium vitam habentem in semetipso : et missio Spiritus sancti ipsa processio est, qua ex Patre simul procedit et Filio, sicut omnes catholici doctores de sanctis Scripturis manifestissime docent. Multo minus autem quam terno, imo nullomodo proprie in Deo est trina fides intelligenda : sed sicut dicit Apostolus : *Unus Deus, una fides, unum baptisma* (*Ephes. iv, 5*), quia licet, ut beatus dicit Gregorius, nec infidelis sine fide vivat. sola tamen est catholica quæ humanum genus sanctificat, sola vivificat. Et licet sint varia baptismata et hæreticorum lavacra, quæ sicut in lege juxta Apostolum non poterant perfectum facere servientem, ita nunc proficere non valent ad perfectæ purgationis lomentum. Tamen unum est baptisma catholicum, quod solum in catholica celebratur Ecclesia, et in una fide collatum et acceptum ad perfectam purgationem credentibus proficit, sicut sanctus Ambrosius in primo libro de Spiritu sancto dicit (*cap. 3*) : « Unum inquit, baptisma. Ubi autem non est plenum baptismatis sacramentum, nec principium, nec species aliqua baptismatis æstimatur. Plenum autem est, si Patrem et Filium Spiritumque sanctum fatearis, si unum neges totum subrues. Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum : ita etiam, quamvis Patrem et Filium et Spiritum sanctum dicas, et aut Patris aut Filii aut Spi-

ritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne
 mysterium : » Et post pauca : « Unum est enim
 opus, quia unum est mysterium : unum baptisma,
 quia mors una pro mundo : unitas ergo operationis,
 unitas prædicationis, quæ non potest separari. »
 Quapropter credentes unum Deum tres personas
 unius deitatis, tenentes unam fidem catholicam quæ
 sola sanctificat, sola vivificat habentes et celebrantes
 unum baptisma, in quo solo plenum est fidei sacra-
 mentum, non obaudiemus Gothescalcum, ne cum hæ-
 reticis partem habeamus, ut credamus et dicamus tri-
 nam deitatem, trinam sanctitatem, trinam lucem, et
 cætera quæ supra dixit; sed suademus ei, ut si non
 vult cum Arianis hæreticis in æternum habere so-
 cietatem, credat, confiteatur, colat, canat cum
 catholicis catholicus Patrem et Filium et Spi-
 ritum 507 sanctum, sanctam scilicet et insepara-
 bilem Trinitatem unum esse Deum, unius ejusdem-
 que deitatis, ac per hoc unam deitatem, unam san-
 ctitatem, unam vitam, unam sapientiam, unam glo-
 riam, unum timorem, unum amorem, unam charita-
 tem, unam lucem, unam salutem, unam virtutem,
 unam pacem, unam majestatem, unam potestatem,
 unam pietatem. Sicut Athanasius in capite libri octa-
 vi de Fidei unitate dicit : « Fides unius substantiæ
 Trinitatis hæc est, Patris et Filii et Spiritus sancti
 sine initio temporum, super omnem sensum et ser-
 monem et spiritum, una virtus unus Deus, tria vero
 vocabula, una potestas. » Et hæc omnia ideo, quia, ut
 Augustinus et cæteri catholici doctores dicunt, de
 quorum verbis et sensibus hæc in præfato libro vir
 venerandus Alcuinus collegit (*de Fid. S. Trinit. lib.*
1, c. 13) : « Una est natura, essentia, substantia, di-
 vinitas, deitas Patris et Filii et Spiritus sancti, et
 omnia nomina, quæ substantiam vel potentiam, vel
 essentiam Dei significant, vel quidquid proprie ad se
 dicitur Deus, omnibus personis æqualiter conveniunt,
 ut Deus magnus, bonus, æternus, omnipotens, san-
 ctus, et omnia quæ naturaliter de Deo dicuntur. Non
 est igitur aliquod naturæ nomen, quod sic Patri
 convenire possit, ut Filio ut Spiritui sancto æqua-
 liter convenire nequeat (*cap. 15*). Proprie quidem
 Deus dicitur substantia una summa et ineffabilis, quæ
 semper idem est quod est, cui nihil accidens vel re-
 cidens inesse poterit, quæ semper est quod est, quia
 semper immutabilis. Item Deus magnus dicitur, non
 alia magnitudine, nisi qua ipse magnus est et immen-
 sus. Ea igitur magnitudine magnus est, qua ipse est
 eadem magnitudo, et ea bonitate bonus est, qua ipse est
 [bonitas]. Nec Deo aliud est esse, aliud magnum esse,
 aliud bonum esse; sed eo quo est, magnus et bonus est.
 Ideo nec tres substantias, nec tres magnos, nec tres
 bonos de Deo dicere fas est (*lib. II, c. 2*). Et ille est
 summa existentia, summa intelligentia, summa vita,
 a quo est omnis vita, omnis intelligentia, et omnis
 existentia : Dei enim idem ipsum est et potentia, et
 substantia, et divinitas, et hæc omnia unum, ut hoc
 unum simplex (*cap. 13*); quia unum opus est Patris
 et Filii et Spiritus sancti, et personarum proprieta-

tem ostendens. Inseparabilis igitur naturæ unitas non
 potest separabiles habere personas. Hæc vero sum-
 mæ Trinitatis atque individuae unitatis natura, quæ
 est sola ubique tota, sicut ubique inseparabilem ha-
 bet unitatem naturæ vel operis, sic separationem non
 potest recipere personarum. Ipsa itaque operatio
 Dei, id est sanctæ Trinitatis, voluntas est Dei, et
 voluntas Dei simplex est, et semper in requie beati-
 tudinis. Nec aliud est Deo operari, aliud velle, sed
 idem est illi velle et operari, quia voluntas Dei effe-
 ctiva potentia est. Nec Deo aliud est esse aliud velle,
 sed unum atque idem, et hoc totum simplex, totum
 Unitas, totum Trinitas, totum *δμούσιον*; quia esse
 quod substantiale est unum est in Patre et Filio et
 Spiritu sancto, et horum una 508 actio est, sicut
 una voluntas (*cap. 14*). Quod ait Apostolus : *Chri-*
stum Dei virtutem et Dei sapientiam (I Cor. I, 24),
 non ita intelligendum est, quod Pater dici non possit
 virtus vel sapientia, sicut dici non potest Filius vel
 Verbum; quia hæc relativa sunt nomina, sicut supe-
 rius dictum est : illa vero, id est virtus et sapientia,
 substantialia sunt. Ideo Pater virtus et sapientia,
 Filius virtus et sapientia, Spiritus sanctus virtus et
 sapientia : non tamen tres virtutes, nec tres sapien-
 tiæ, sed una virtus et una sapientia, Pater et Filius
 et Spiritus sanctus; sicut una substantia, et una
 omnipotentia, et alia quæ de substantia divinitatis
 dicuntur. Et ita intelligatur Filius sapientia Patris,
 quomodo dicitur lumen Patris; id est, ut quemadmo-
 dum lumen de lumine et utrumque unum lumen, sic
 intelligatur sapientia de sapientia, et utrumque una
 sapientia : quia in illa simplicitate naturæ divinæ
 non est aliud sapere quam esse, nec aliud esse quam
 posse, nec aliud posse quam vivere. Eadem ibi sa-
 pientia quæ essentia, eadem vita quæ essentia, et
 hæc omnia unum, et unus Deus (*cap. 15*). Et sicut
 Pater vita, ita et Filius vita, et Spiritus sanctus
 vita, quia unum opus est Patris et Filii et Spiritus
 sancti, sicut una substantia atque essentia. Pater
 vita in semetipso, non ab alio; Filius vita in semet-
 ipso, sed a Patre, qui eum talem genuit ut vitam
 haberet in semetipso. Dictum quippe est, sicut ipse
 Filius ait : *Sicut Pater vitam habet in semetipso, sic*
dedit et Filio vitam habere in semetipso (Joan. V, 26),
 id est genuit Filium, vitam in semetipso habentem.
 Hoc solum interest, quod Pater vita est non nascen-
 do, Filius vita est nascendo; Pater de nullo patre,
 Filius de Deo Patre; Pater propter Filium Pater est,
 Filius vero et quod Filius est propter Patrem est,
 et quod est a Patre est, et a vita vita est. Pater, qui
 est vita in semetipso, genuit Filium qui esset vita
 in semetipso. Ideo et ipse Filius ait : *Sicut vivit Pater,*
et ego vivo propter Patrem (Joan. VI, 58). Non ita
 dictum est, quasi in semetipso Filius propriam non
 haberet vitam, sed participatione paternæ vitæ vi-
 tam haberet, sicut oculus carnalis participatione
 lucis alterius lumen accipit, quod non haberet in
 seipso nisi aliunde mutuasset. Sed jam jamque talis
 a Patre genitus est Filius, qui in seipso viveret. Sic-

XP. Ad quem parumper conversi loqui censuimus. Stulte, impie, crudelis, et Dei tyranne, quod non solum sensus, sed et artis litteratura penitus denegat, et tu ipse prius cum arte negas, cum artis littera errorem non habeat, et apices sint sine crimine, cur prave interpretando sensum maculas pravæ intelligentiæ crimine, lucem et pacem naturaliter unam personaliter in Deo dicens trinam? Nam de luce tuæ impietati contradicit Psalmista dicens: *Apud te est, Domine, fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (Psal. xxxv, 10). « In lumine tuo, inquit Hieronymus, videbimus lumen. Lumen Patris Christus est. In Christo Patris lumine lumen Spiritum sanctum videbimus. Et lumen tuum, Christo, Pater est, cujus voluntatem faciens venisti illuminare occulta tenebrarum, ut in te, qui es lux mundi, mereremur illud lumen cernere in gratia mentis puræ. Sic enim ait ad Philippum: **Qui videt me videt et Patrem meum** (Joan. xiv, 9). In lumine ejus, id est in Christo, videbimus lumen, id est Spiritum sanctum, qui super apostolos, id est in specie ignis illuminantis apparuit. *Et in lumine tuo videbimus lumen*, id est a Christo illuminabimur, ut ait in Evangelio: *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. i, 9). » Apostolicæ quoque sedes super exalta Petri confessione, et Pauli ornata prædicatione, verum et ipsius traditione Ecclesia catholica in vigilia sacra Pentecostes, quasi hujus expositionem versiculi syllabis paucis, sensu permaximo, Orando melius quam tradendo sibi obtinere et aliis Commendare posse cognoscens, inter sacra missarum solemnia deprecari canendo instituit, dicens: « Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut claritatis tuæ super nos splendor effulgeat, et lux tuæ lucis corda eorum qui per gratiam tuam sunt renati, sancti Spiritus illustratione confirmet. » Si recolis, hæreticæ, scriptum: *Vobis qui timetis Deum orietur Sol justitiæ* (Malac. iv, 2); et item: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus* (Hebr. i, 3); et item: *Ipse est enim candor lucis æternæ* (Sap. vii, 16); unde et ipse dicit: *Ego sum lux mundi* (Joan. viii, 12); et: *Qui videt me, videt et Patrem, quia ego in Patre et Pater in me est* (Joan. xiv, 9); et item scriptum: *Deus noster ignis consumens est* (Hebr. xii, 23), et purgaveris gratia Dei oculus mentis a pulvere vel albugine arrogantia, poteris hanc orationem catholicam intellectu videre. Et quoniam scriptum est: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, æterna quoque ejus virtus et divinitas* (Rom. i, 20), intende solem, et separa ab eo aliquo modo splendorem vel calorem si potes, et cum tria inseparabilia in una creaturæ substantia videbis, intellige lucem et pacem, sicut et in arte grammatica singularis numeri esse, ita et sensu intellige unam et non trinam esse lucem ac pacem, omnium quæ sunt creatorem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Quia sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus et Spiritus sanctus,

et tamen non tres dii sed unus est Deus, ita lux Pater, lux Filius, lux Spiritus sanctus, et non tres luces vel trina lux, sed una lux est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Et sicut dicitur Pater et Filius et Spiritus sanctus trinus in personis, et unus Deus in potentia et deitate, ut beatus dicit Ambrosius:

Summæ Deus clementiæ,
Mundique factor machinæ,
Unus potentialiter,
Trinusque personaliter,

non potest catholice dici, sicut deliras, lux et pax ac deitas naturaliter una et personaliter trina. Unde idem in alio hymno dicit Ambrosius:

Tu Trinitatis unitas,
Orbem potenter qui regis;

de qua non dixit, una potentialiter, trinaque personaliter, quia in Deo ad se, id est essentialiter et naturaliter, sicut Deitas et substantia, lux et pax et vita, ac virtus, et alia his similia dicuntur et non relative, ac per hoc singulariter proferuntur, et non recipiunt neque habere pluralitatem vel numerum possunt. Personæ autem, quibus constat sancta et inseparabilis unius deitatis trinitas, relative dicuntur ad invicem, et idcirco pluralitatem; id est numerum habent, quæ habere non possunt essentialia nomina **Deitas**, pax, et lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Pater et Filius et Spiritus sanctus: quia sicut inseparabilis est substantia, id est deitas Patris et Filii et Spiritus sancti, ita et inseparabilia sunt opera ejusdem sanctæ et individua Trinitatis, inseparabiliterque operatum esse intelligendum est, quidquid a singulis personis legimus operari. Quamvis certissimum sit, esse Patrem solum in paternitatis persona qui dixit: *Hic est Filius meus, in quo mihi complacui* (Matth. iii, 17): et Filium esse solum Filium, super quem illa vox sola Patris sonuit, quando in Jordane secundum hominem baptizatus est idem unigenitus Deus qui carnem solus accepit: et Spiritum sanctum Patris et Filii personaliter solum esse, qui in specie columbæ super eundem baptizatum ascendentem de aqua descendit, et quinquagesimo die post resurrectionem Christi fideles in uno loco positos in linguarum ignearum visione adveniens replevit, in quo habent omnes fideles remissionem peccatorum omnium, sive in baptismo, sive in pœnitentia. Illam tamen verissime vocem qua solus locutus est Deus Pater, et illam carnem qua solus homo factus est unigenitus Deus, et illam columbam in cujus specie Spiritus sanctus super Christum descendit, illasque linguas igneas in quarum visione fideles in uno loco positos replevit, et in quo datur credentibus remissio peccatorum, opera esse totius sanctæ Trinitatis, id est unius Dei qui fecit in cœlis et in terra visibilia et invisibilia, verissime credendum est. De pace siquidem, unde hæretice quasi sapienter et conclusively una cum luce prædicare te jactas, et revera perniciosissime blasphemias, dicens: Pax ingenta, et pax genita, et pax procedens, naturaliter una, per-

sonaliter trina, sicut supra dixisti de deitate. Sufficere poterant quibus sufficit quæ latius de omnibus quæ substantialiter de Deo dicuntur ex catholicorum verbis supra ostendimus. Sed ne dicas, quia in his duobus nominibus nos concluderis, et in responsione defecerimus, juxta proverbium antiquum, tibi malæ arboris nodo fortissimum cuneum opponimus, auctoritate sancti Ambrosii, et ipsam veritatis rationem. Veritas quippe loquitur per Ambrosium, dicit et per Apostolum: *Ipse est pax nostra (Ephes. II, 14)*; et: *Deus lux est (I Joan. I, 5)*. Quid ergo aliud datur intelligi, nisi quia ipsum sit pax et lux quod Deus est? Neque enim illa natura simplex quæ Deus est, aliud in se habere potest nisi quod ipsa est, cui hoc est scire, quod posse, hoc est posse, quod esse et nosse. Unde et hoc pacis et lucis præcelsum vocabulum sanctæ Trinitati convenientissime coaptatur: nimirum quod ex tribus litteris constat, et pluralitatis numerum sicut Deus ignorat. Cum enim dicimus pax, lux, per tres litteras tres in Deos personæ intelliguntur, et quia pax, sicut nec lux, numerum pluralem non recipit, per singularem numerum substantia, id est deitas ipsius Dei accipitur, sicut sanctus Ambrosius in primo libro de Spiritu sancto, **513** capite duodecimo dicit: « Una pax, una gratia Patris et Filii et Spiritus sancti. Denique scriptum est: *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo (Gal. I, 3)*. Ecce habes quia Patris et Filii una gratia est, et Patris et Filii una pax est. Sed et gratia et pax fructus est Spiritus, sicut ipse Apostolus docuit, dicens: *Fructus autem Spiritus charitas gaudium, pax, patientia (Gal. V, 22)*. Et bona pax et necessaria, ut nemo ad disputationum turbetur incertum (*al.*, incertis), neque passionum corporalium tempestate quatiatur: sed in simplicitate fidei et tranquillitate mentis quietus circa Dei cultum perseveret affectus. » Et post pauca: « Si igitur una pax, una gratia, una charitas, una communicatio est Patris et Filii et Spiritus sancti, una certe operatio est, et ubi una operatio est, utique non potest virtus esse divisa, discreta substantia. Nam quomodo operationis ejusdem gratia conveniret? » Et capite decimo tertio: « Quis igitur unitatem separare audeat nominis, cum operationis videat unitatem? Sed quid ergo unitatem nominis argumentis astruo, cum divinæ vocis evidens testimonium sit. Unum nomen est Patris et Filii et Spiritus sancti. Scriptum est enim: *Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (Matth. XXVIII, 19)*. *In nomine* dixit, non in nominibus: non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritus sancti, quia unus Deus non plura nomina, quia non duo dii, nec tres dii. Et ut aperiret quia una divinitas, una majestas est, quia unum nomen Patris et Filii et Spiritus sancti, » et reliqua. Et capite decimo quarto: « Deus enim lux est, sicut dixit Joannes, quia *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ (Joan. I, 5)*. Lux autem et filius, quia *vita erat lux hominum (Joan. I, 4)*. Et ut ostenderet

A se de Dei Filio evangelista dixisse, ait de Baptistâ: *Non erat ille lux, sed ut testimonium daret de lumine. Erat lux vera, quæ illuminavit hominem venientem in hunc mundum (Joan. I, 9)*. Ergo quia Deus lux est, lux autem vera est Filius, sine dubio Deus verus est Dei Filius. Hæc alibi quia Deus lux est: *Populus qui sedebat in tenebris et umbra mortis, lucem vidit magnam (I Joan. I, 9)*. Quid autem hoc evidentius quod ait: *Quod apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbitur lumen? (Psal. xxxv, 10)*. Hoc est, quod apud Deum omnipotens Pater, qui fons vitæ es, in Filio tuo videbimus lumen. Videbimus lumen sancti, sicut ipse Dominus ostendit, *Accipite Spiritum sanctum (Joan. xx, 22)*, et *Et virtus exiebat de eo*. Ipsum autem Patrem dubitet lucem esse, cum lectum sit de Filio quia splendor sit lucis æternæ (*Hebr. I, 3*). enim nisi Patris splendor est Filius, qui e Patre semper est, nec dissimili sed eadem claritate præfulget? Et Isaias significat non solum lucem etiam ignem esse Spiritum sanctum, dicens: *lux Israel in ignem (Isa. x, 17)*. Itaque patres qui eum ignem ardentem dixerunt; quia in istis generibus propensius majestatem divinitatis advertimus: quoniam et sanctificare divinitatis et illuminare lucis et ignis est proprium in specie ignis exprimi vel videri divinitatis est consuetudinis: *Deus enim est ignis (I Joan. I, 7)*, sicut Moyses dicit (*Deut. iv, 24*). habes quia Pater et Filius et Spiritus sanctus personaliter trina, sed naturaliter et essentialiter una pax, una lux est. Unde sicut et de deitate de omnibus quæ de Deo substantialiter dicuntur revictus es mendax, Gothescalce, quia non propter sed singulariter de singulis sicut et de personis debent efferri (*cap. 8*). Sicut et sanctus Augustinus in libro quinto de Trinitate dicit; mendacio contradicit: « Illud, inquit, prædicandum est, quidquid a se dicitur præstant illa et divina sublimitas, substantialiter dico tamque vim esse ejusdem substantiæ in Patre et Filio et Spiritu sancto, ut quidquid de singulis seipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed pluraliter accipiatur. » Quod autem ad aliquos substantialiter, sed relative ac per hoc pluraliter dicitur. Plura denique horum, sed et aliorum doctorum potuissemus ponere testimonia, et suis locis lector poterit invenire: sed sciamus niam quantacunque posuerimus, æmulorum perfidiam et Gothescalci perfidiam, et si per rationem auctoritatem superare, non tamen penitus valebimus. Quapropter adhibemus etiam iterum Nicænum concilium, in quo cum Arius illius damnatus est, licet verbotenus detestetur qui sensu sequitur. Cujus concilii labilis confessio, et irrefragabilis constitutio nostrum Jesum Christum natum ex unigenitum, hoc est ex substantia Patris, De

en de lumine, et non duo lumina, adeo **A** **confiteri** cum Spiritu sancto unum lumen, ut secus sententias ab Ecclesia catholica **utizandos** decreverit. Et de his contra eum **sufficiant**: nunc de aliis ejusdictis ad **ordinem** redeamus. In alia etiam **compina**, in qua plura testimonia ex nomine **rum** falso ponit, et nomina librorum ex **la** sumpserit penitus tacet, et quædam quæ **a** sunt ibidem contra se perverse more **pretans** interponit, quæ a se dicta fortiter **detur** astruunt, fortiter vero et catholice **t**: ponit etiam ibidem testimonium de **Petri** Nicomediensis episcopi, quam in **odo** ne damnaretur porrexit, in qua trinum **isse** positum, et ab episcopis approbatum **i** **synodo** jactat. Nesciens sæpe idioma **lin-** **terpretatione** quæ sit verbo ex verbo, dum **vel** intelligentiæ difficultatem afferre, **beatus** Augustinus manifeste demonstrat, **odo** sæpe aliqua, quæ non adeo ad rem **t**, propter plurimas occupationes, dum **mul-** **traba** et sententiæ intercedunt, necessario **discussa** præteriri solere, maxime illa de **pecialiter** non agitur ratio, et plus statu **im** intenditur a synodo consuli, quam de **fraternæ** incumbi. Unde Leo, ut de pluribus **roferamus** exemplum, ad Flavianum scribit, **pist.** 12): « Miror tam absurdam tamque **fidam** ejus, quin Eutychetis, professionem **licantium** increpatione reprehensam, et **ser-** **nimis** insipientem, nimisque blasphemum **sum**, quasi nihil quod offenderet esset **aurum** tam impie duarum naturarum ante **inem**, unigenitus Dei Filius fuisse dicitur, **marie**, postquam Verbum caro factum est, **eo** singularis asseritur, quod Eutyches ideo **vel** tolerabiliter æstimat dictum, quia nulla **st** sententia confutatum. » Et cum hæc ita **unt**, necessarium tamen duximus, Gothescalon verum dixisse patenter ostendere. Non **omni** libello satisfactionis Petri Nicomedi- **episcopi** de trino lumine quidquam habetur, **as** deitas in eo manifestissime et catholice **tratur**, qui ita incipit (*synodi vi act. 18, sub* **«** Credo in unum Deum patrem omnipotentem **to-** **rem** cæli et terræ, visibilium omnium et **ium**. Et in unum dominum Jesum Christum, **Dei** unigenitum, qui ex Patre natus est ante **æcula**, lumen de lumine, Deum verum de **o**, natum non factum, per quem omnia facta **in** Spiritum sanctum, Dominum et vivifi- **,ex** Patre procedentem, cum Patre et Filio **ndum** et conglorificandum, Trinitatem **con-** **tialem**, unam deitatem, essentiam, virtutem **et** potestatem, dominationem, Deum unum, **im** singulariter contemplatur, sensu dividendi **divisa** sunt, unitatem in trinitate, trinitatem **te** adorandam: unitatem quidem secundum

essentiæ sive deitatis rationem, trinitatem vero secundum subsistentias sive personas.» Habetur autem quiddam de tribus luminibus, sed non eo sensu quo Gothescalcus dicit, in professione synodo porrecta Macarii hæretici et Antiocheni episcopi, qui de duabus voluntatibus et operationibus in uno domino Jesu Christo non sensit catholice, et orthodoxorum dicta falsasse convictus et degradatus est, post alia præmissa hoc modo (*synod. vi act. 8*): Trinitatem perfectam gloria, et imperio, et consilio non divisam, unam deitatem et dominationem. Nihil enim servile in Trinitatem vel subjectum et introductitium, tanquam prius quidem non exstitisset, post vero intro- **missum**. Neque enim defuit Filius Patri, neque Filius Spiritus, sed inconvertibilis semper et consubstantialis sancta Trinitas Deus noster. Deum verum cum **B** dico, uno lumine illustror. Et tribus quidem secundum proprietates sive substantias, et personas: uno vero secundum essentiæ rationem, id est deitatis. Dividitur quippe indivisibiliter, ut ita dicam, et conjungitur divisibiliter. Unum nempe in tribus ipsa deitas, et ipsa tria unum in quibus deitas, sive ut expressius dicatur, quæ est deitas; et neque ipsam unitatem confusionem operemur, neque ipsam divisionem alienationem.» Et hinc sanctus Augustinus in libro septimo (*cap. 3*) de Trinitate: « Lumen Pater, lumen Filius, lumen Spiritus sanctus, simul autem non tria lumina, sed unum lumen.» Et beatus Ambrosius sanctam Trinitatem unius deitatis, non **546** secundum Gothescalci perversitatem, sed secundum fidei catholicæ universalem credulitatem **C** atque confessionem, unam lucem catholice credi et dici demonstrat in hymno vespertinali, quem Gothescalcus ab ipsis rudimentis infantia, in monachorum monasterio, in quo secundum regulam oblatus et tonsus exstitit, et usque ad ætatem adultam mansit, cum monachis labiis cecinit, sed sensum ejus percipere corde non potuit, quoniam in malivolam animam non introivit sapientia, nec habitavit in corpore subdito peccatis. Cujus hymni initium est:

O lux beata Trinitas, et principalis unitas,
Jam sol recedit igneus, infunde lumen cordibus.

Tandem hac schedula completis suis in Deum blasphemias, Gothescalcus in vituperationem ipsius Domini sacerdotum, ut scientia et meritis illi impares nosceremur, ac per hoc indigni sacerdotio notaremur, nobis noto et sibi consuetudinario blasphemiarum sigillo, post solitum suum *Amen*, verba ponens beati Gregorii, quatenus ejus derogationes in nos jaculatae, qui sua dogmata exsecramur, majoris haberentur virtutis, subscribendo signavit dicens:

XIV.

÷ » Virtutibus plenus invitus ad regimen veniat,
« virtutibus vacuus nec coactus accedat. »

xp. Quas sententias beati Gregorii, ut a sancto Spiritu promulgatas, reverenter suscipimus, sed malo voto a Gothescalco prolatas non reveremur;

quia non Gothescalcus hæreticus, sed sicut scriptum est : *Spiritalis homo judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur* (I Cor. II, 15). Id est, ut beatus Augustinus dicit, a nullo homine, sed a sola ipsa lege, secundum quam judicat omnia. Quoniam et illud verissime dictum est : *Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi* (II Cor. V, 10). Omnia ergo judicat, quia super omnia est, quando cum Deo est. Cum illo autem est, quando purissime intelligit, et tota charitate quod intelligit diligit. Ita etiam quantum potest lex ipsa etiam ipse fit, secundum quam judicat omnia. De qua judicare nullus potest, præsertim nemo illorum, de quibus item beatus Augustinus dicit : « Quia multi non solum in catholica, sed in diversis hæresibus, si aliqua ingruente persecutione, tradant ad flammam nobiscum corpus suum pro fide quam pariter confitentur, tamen quia separati hæc agunt, non sufferentes invicem in dilectione, neque studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis, charitatem utique non habendo, etiam cum illis omnibus quæ nihil eis prosunt, ad æternam salutem pervenire non possunt, quia præter unitatem et qui facit miracula nihil est. Præter unitatem erant magi Pharaonis, et faciebant similia Moysi. Et discipuli gloriantes dixerunt Domino : *Ecce in nomine tuo etiam nobis dæmonia subjecta sunt* (Luc. X, 17). Bene quidem confessi sunt, detulerunt honorem nomini Christi; et tamen quod ait eis : *Nolite in hoc gloriari quia dæmonia vobis subjecta sunt : sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo* (Luc. X, 20). Petrus dæmonia excludit, nescio quæ anicula vidua, nescio quis homo qualiscunque laicus, habens charitatem tenens integritatem fidei, non facit hoc. Petrus in corpore oculus est, ille in corpore digitus est, in eo tamen corpore est in quo Petrus, et si minus valet digitus quam oculus, non est tamen præcisus a corpore. Melius est esse digitum et esse in corpore, quam esse oculum et evelli de corpore. » Deo gratias, qualescunque sacerdotes et in Ecclesiastico regimine positi, catholicam fidem servantes in Christi corpore, de quo evulsus est Gothescalcus, non usquequaque virtutibus, vacui manemus; quia, ut idem beatus Augustinus dicit, virtus est vel recta vel perfecta ratio. Et hæc est vere perfecta virtus, ratio perveniens ad finem suum, quam beata vita consequitur. Ipsa autem visio intellectus est ille qui in anima est, aspectus animæ ratio est. Sed quia non sequitur ut omnis qui aspicit videat, aspectus rectus atque perfectus is est quem visio sequatur, et virtus vocatur. Quam et si perfecte necdum adepti sumus, quia necdum culmen perfectionis attingimus, in via tamen Dei quotidie sancti desiderii gressus ponere desudamus. Quapropter, ut beatus dicit Gregorius, consolatur nos Veritas, quæ per Psalmistam dicit : *Imperfectum meum viderunt oculi tui et in libro tuo omnes scribentur* (Psal. CXXXVIII, 16). Non omnino erit nobis noxia nostra imperfectio, si in Dei itinere

A constituti, et ad transacta non respicimus quæ restant transire festinamus. Nam fectorum desideria dignanter inflammammodo ad perfectionem roborat perstum Dominum nostrum, qui cum eo v Deus in unitate Spiritus sancti, per o sæculorum, Amen. Et quoniam idem plures schedulas blasphemiarum suarvit, ad quas omnes propter multas occbis longum respondere fuit, de his scriptummodo vidimus, de quibus quosdam didicimus. Scripsit enim inter alia, in niarum suarum schedula :

XV.

B ÷ « Siquidem inde dicitur in Deo p « per se sit una. Quapropter cum Dei « aliud sit quam generalis, communis, t « salis omnium trium substantia; et u « Trinitate persona nihil sit aliud qu « specialis, et individua singulorum sub « sentia, patefacta est, Deo gratias, luce « unam Dei naturam et tres personas « eo videlicet, quod in natura demonstri « trium substantialis generalitas, comi « versalitas, unitas; at in personis det « vidua singulorum specialitas atque p « ita his quoque consequenter manifes « tas, et sicut superius una scilicet nat « his trina deitas. »

C XP. Quo contra beatus Augustinus, q posuimus, in libro VII de Trinitate dici inquit, Trinitatem dicimus 518 tr vel subsistentias, unam essentiam et u tanquam ex una materia tria quædam etiamsi quidquid illud est in his tribus sit, non enim aliquid aliud ejus essent ter istam Trinitatem. Tamen tres perso essentia, vel tres personas unam esse mus, tres autem personas ex eadem e dicimus, quasi aliud ibi sit quod essen quod personæ, sicut tres statuas ex possumus dicere : aliud enim illic est aliud esse statuas. Et cum dicuntur tr una natura, vel tres homines ejusdem : sunt etiam dici tres homines ex eadem : D ex eadem natura et alii tales homines p stere. In alia vero essentia Trinitatis, alia quælibet persona ex eadem essenti stere. Non enim major essentia Pat simul, quam solus Pater aut Filius : sei ille subsistentia, sive personæ, si ita di æquales sunt singulis, quod animalis ho cipit. » Et in sermone trigesimo sext Joannis : « Trinitas unus Deus, Trinitas unitas, una potestas, una majestas. Quid Si enim tres ait, oportet dicas quid tre deo, Pater et Filius et Spiritus sanctu quod Pater in se est Deus est, quod ad

Pater est : quod Filius ad se ipsum Deus est, quod ad Patrem est, Filius est.» Et post paululum: « Quia illa divinitas est, est ibi aliquid ineffabile, quod verbis explicari non possit, ut et numerus sit, et numerus non sit. Videte enim, si non quasi apparet numerus Pater et Filius et Spiritus sanctus Trinitas. Si tres, quid tres? deficit numerus. Ita Deus numerus recedit a numero, nec capitur numero : quia tres sunt tanquam numerus, si quæris quid tres? non est numerus. Unde dictum est : *Magnus Dominus Deus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus (Psal. CXLVI, 5).* » Et item post paululum : « Hoc solum numerum insinuat quod ad invicem sunt, non quod a se sunt. » Ex his verbis beati Augustini demonstratur contra catholicam fidem dicere Gothescalcus, ut solet, trinam prædicans deitatem. Et in hoc etiam ex his verbis sancti Augustini male dogmatizare probatur, quod in eadem sua compilatione subsequitur, dicens :

XVI.

÷ « Illud etiam patet, et absque nubilo claret, quod nomina personalia non sunt ullo modo relativa, sed potius essentialia, sive substantialia, sicut sunt et naturalia. Hoc tamen inter se tantummodo differunt, quod nomina naturalia totis tribus personis æqualiter sunt communia, sive generalia : at personalia singulis tantummodo personis probantur esse propria, sive specialia. Quemadmodum, verbi gratia, cum dicitur Dei natura, totius Trinitatis dicitur communis cognoscitur essentia: eum vero dicitur persona, non nisi unius ex Trinitate specialis dignoscitur esse substantia. Revera enim naturale nomen Dei, quando generaliter ponitur, totas tres pariter complectitur personas, personale vero solummodo singulas. »

519 xp. Repetamus singula, et distincte ac viritum respondeamus catholicorum dictis et sensibus, his execrandis blasphemis: « Claret, inquit, quod nomina personalia non sunt ullo modo relativa, sed potius essentialia, sive substantialia, sicut sunt et naturalia. » Ad quæ interrogamus eum, quæ sunt in sancta Trinitate nomina personalia. Si dixerit, quia aliud non habet quid dicat, Pater et Filius et Spiritus sanctus, dicentem quod nomina personalia non sunt relativa, sed naturalia, mentiri comprobatur sanctus Augustinus in multis locis, tum in quinto et septimo libro de Trinitate (*lib. v, cap. 8*), in quibus ostendit quod nomina naturalia in Deo ad se, id est substantialiter dicuntur, nomina vero personalia ad aliquid, id est relative dicuntur, sicut Pater ad Filium, Filius ad Patrem, et Spiritus sanctus ad Patrem et Filium, quorum est Spiritus sanctus. Et illud præcipue tenendum esse confirmat, ut quidquid ad se dicitur præstantissima illa et divina sublimitas, substantialiter dici, et quidquid de singulis ad se ipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Quod autem ad aliquid, non substantia-

ter sed relative dicitur. Unde et Boetius, ac si beatum Augustinum exponens, in libro ad Joannem Romanum diaconum, postea autem episcopum, dicit : « Intelligamus Patrem et Filium ac Spiritum sanctum non de ipsa divinitate substantialiter dici, sed alio quodammodo. Si enim substantialiter prædicaretur, et de singulis et de omnibus singulariter diceretur, hæc vero ad aliquid dici manifestum est. » Et paulo post : « Trinitas quidem in personarum pluralitate consistit, unitas vero in substantiæ simplicitate. » Et item : « Trinitas igitur non pertinet ad substantiam ; quod sit neque Pater, neque Filius, neque Spiritus sanctus, neque Trinitas, de Deo substantialiter prædicetur, sed ut dictum est ad aliquid: Deus vero, veritas, justitia, bonitas, omnipotens, substantia, immutabilitas, virtus, sapientia, et quidquid hujusmodi excogitari potest, substantialiter de divinitate dicuntur. » Et item idem in libro de Trinitate : « Substantia continet unitatem, ratio multiplicat Trinitatem. » Quapropter si forent, ut mentitur Gothescalcus, in sancta Trinitate tria nomina naturalia ut personalia, esset in sancta Trinitate trina natura, id est trina deitas, et unicuique naturæ proprium nomen, sicut et unicuique personæ quædam proprietas sua in una eademque hac communi sanctæ Trinitati deitatis natura. Patri videlicet, quia ab alio non est, ac per hoc solus est in paternitatis persona, non solus in deitatis essentia. Unigenito vero Filio Dei proprium est, quod ex solo, id est Patre consubstantialiter et coessentialiter solus est genitus : et in hoc personæ suæ proprietas, ut solus sit in Filii persona, et non solus in deitatis substantia. Spiritui sancto est proprium, quod ex Patre et Filio æqualiter procedit, et est amborum Spiritus, ejusdemque substantiæ et æternitatis cum Patre et Filio. Si, inquam, tria in sancta 520 Trinitate forent naturalia nomina, tres utique essent naturæ, et trina deitas esset, sicut mendaciter laborat Gothescalcus astruere ut trina sit personaliter, ac per hoc tres dii essent : cui falsitati a diabolo, qui primis hominibus dixit: Eritis sicut dii, per Gothescalcum prolata contradicit Dominus dicens : *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Matth. xxviii, 19).* Unde Athanasius in libro primo de fide: « Qui, inquit, in nomine dixit, evidenter unam deitatem in Trinitate consistere declaravit, et quod persecutus est, Patris et Filii et Spiritus sancti, per singula nomina singulas personas inesse distinxit. In qua sententia, quod et unius Dei nomen sit Pater et Filius et Spiritus sanctus, et catholice ut catholicissimus per singula nomina singulas personas inesse distinxit, quoniam alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, cum non sit aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, sed id ipsum sit Pater quod Filius et quod Spiritus sanctus, non autem idem ipse sit Pater, qui Filius, et qui Spiritus sanctus, sicut beatus Ambrosius in libro primo (*cap. 1*) de Fide dicit : Si ergo unus Deus, unum nomen, una potestas, una est Trinitas :

denique Dominus dicit : *Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19), *in nomine*, inquit, *non in nominibus.* » Et hinc idem Athanasius consonanter : « In nomine, inquit, non in nominibus, ut et unum Deum per indistinctum divinæ essentiae nomen ostenderet, et personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret. »

Deinde subsequitur Gothescalcus : « Hoc tamen inter se tantummodo differunt, quod nomina naturalia totis tribus personis æqualiter sunt communia, sive generalia : at personalia singulis solummodo personis probantur esse propria, sive specialia. » Videndum quam contraria sibi ipsi et amenter loquitur, videlicet ut hæresis, de qua scriptum est quia non valet consistere pedibus suis. Paulo superius dixit, quod nomina personalia non sunt ullo modo relativa, sed naturalia, et mox subjungit quod nomina naturalia sunt communia Trinitati et generalia, et personalia singulis personis sunt propria. Contra quæ non latius scribendum censuimus, cum manifestum sit quam contraria catholicæ fidei, et catholicorum verbis, et sibi ipsi loquatur, et in hoc opere plurima sint catholicorum testimonia posita, quæ illius falsitatem revincunt, licet ipse iis non credat, nisi ea dixerint quæ suo pravo sensui congruunt. Non enim, ut scriptum est, recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus. Cæterum quicumque a dogmate illius dissentiant, sine ulla reverentia reprehendit : sicut in hac eadem compilatione reprehendit Paulum, quia non regulariter dixit : *Fides, spes, charitas, tria hæc : major autem his est charitas* (I Cor. xiii, 13), dicens quia major horum dicere debuerat, et Priscianum denotat, asseverans quia illum hæc regula præterierit. Sed et Hieronymum, et Augustinum, et Bedam, toto ore et buccis inflatissimis de quibus sibi visum est reprehendit. **521** Verum tamen Augustinus, quem suum multoties vocat, illum prave sentire in hac compilationis suæ astutia comprehendit, dicens : « Sciendum est quod quædam de Deo substantialiter dicuntur, ut est Deus, magnus, omnipotens, et quidquid ad se dicitur, id est substantiam divinitatis significantia. Quædam itaque relative dicuntur, ut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, et Spiritus sanctus relative ad Patrem et Filium : ad se autem, sive Pater, sive Filius, sive Spiritus sanctus dicitur. » Et item : « Quidquid ergo ad se dicuntur Pater et Filius, non dicitur alter sine altero, id est quidquid dicuntur quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur. Si hæc ita sunt, jam ergo nec Pater est Deus sine Filio, nec Filius Deus sine Patre, id est non ita dicitur Pater Deus quasi Filius non sit Deus, nec Filius ita dicitur Deus quasi Pater non sit Deus, sed ambo simul Deus et unus Deus. Quocirca quidquid secundum substantiam vel æternitatem de eis dici potest, ambo simul sunt, quamvis de Filio dicatur Deus de Deo, lumen de lumine, ambo sunt Deus, ambo simul lumen ; sed non Pater Deus de

A Deo, nec lumen de lumine, sed Filius Deus de Deo, et lumen de lumine, ambo tamen simul et semper simul unus Deus et unum lumen. Sic etiam et de aliis appellationibus quæ secundum substantiam dicuntur, id est, quod simul ambo sunt dici debet : hoc solum de eis dici non potest, illud de illo, quod simul ambo non sunt, sicut Verbum de Verbo dici non potest, quia non simul ambo Verbum, sed solus Filius, nec imago de imagine, nec Filius de Filio, nec Pater de Patre. » Et item : « Sicut enim relative Pater et Filius dicuntur, ita et Spiritus sanctus ad Patrem et Filium quodammodo relative dicitur, quia Patris et Filii Spiritus est, sed ipsa relatio Spiritus sancti non ita reciprocatone converti poterit sicut Pater et Filius. Possumus quippe dicere : Spiritum sanctum Patris et Filii spiritum : sed converso ordine non possumus dicere, Patrem Spiritus sancti, sicut dicimus Patrem Filii, ne duo Filii in sancta Trinitate æstimentur. Ita non possumus dicere Filium Spiritus sancti, sicut dicimus Filium Patris, ne duo Patres in sancta Trinitate intelligantur. Dicimus itaque Spiritum sanctum Patris et Filii sine reciprocatone conversionis nominum relativorum. »

Personæ autem etymologiam, vel definitionem Boetius, cum in libro contra Eutychem et Nestorium multipliciter sapientum utriusque linguæ, Græcæ videlicet et Latinæ, sensum inde protulerit, talem non invenit sicut Gothescalcus hic adinvenit : « Inde, inquit (de una persona Christi), dicitur in Deo persona, quod per se sit una. Cum tres unius deitatis in sancta Trinitate personæ Pater et Filius et Spiritus sanctus ad invicem non substantialiter, sed sicut ex verbis beati Augustini ostendimus, relative dicantur. Pater enim relative dicitur ad Filium, qui ideo dicitur Pater quod habeat Filium : Filius relative ad Patrem dicitur, quia ideo dicitur Filius quod habeat Patrem. Spiritus sanctus, tertia in sancta Trinitate persona, quodammodo relative dicitur, quia a Patris et Filii spiritus **522** est, qui a catholicis doctoribus amborum videlicet Patris et Filii, charitas, sanctitas, unitas, ac Trinitatis vinculum dicitur. Trinitas itaque ad personas Patris et Filii et Spiritus sancti refertur : unitas ad naturam æternæ deitatis pertinet. Et habent singulæ in sancta Trinitate personæ aliquid proprium, non sicut Gothescalcus dicit, quod inde dicitur, in Deo persona, quod per se sit una : sed sicut Augustinus dicit, quod inseparabili æqualitate aliquam in se ostendunt proprietatem. Pater vero solus Pater, et Filius solus Filius, et Spiritus sanctus solus Spiritus sanctus. Et Pater hoc habet proprium, quod ex omnibus quæ sunt solus est, quia ab alio non est, ac per hoc solus est in paternitatis persona, non solus in deitatis essentia. Unigenitus vero Filius Dei hoc habet proprium, quod ex solo, id est Patre, consubstantialiter et coessentialiter solus genitus est, et in hoc personæ suæ proprietas. Spiritus sanctus hoc habet proprium, quod ex Patre Filioque æqualiter procedit, et est amborum spiritus,

eiusdem substantiæ et æternitatis cum Patre et Filio. Sed hæc tria vere etiam tria sunt, ineffabiliterque tria, et essentialiter tria, habentia proprietates suas, et hæc tria unum, et vere unum, et hoc unum tres, sed non tres Patres, nec tres Filii, nec tres Spiritus sancti, sed tres personæ. Unus Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus, et hi tres, id est Pater et Filius et Spiritus sanctus, unum sunt in natura, omnipotentia, deitate et æternitate. Conferat igitur catholici lectoris prudentia verba Gothescalci dicentis, Inde dicitur in Deo persona quod per se sit una, verbis beati Augustini dicentis : Habent singulæ in sancta Trinitate personæ aliquid proprium, quo inseparabili æqualitate aliquam in se ostendunt proprietatem ; et dicat : Quantum distat ortus ab occidente longe faciat Dominus pravum sensum Gothescalci a catholicis sensibus nostris, qui cum Gothescalco non dicimus inde in Deo dici personam quod per se sit una, sed credimus et confitemur cum sancto Augustino et cæteris orthodoxis doctoribus, quia Pater et Filius et Spiritus sanctus naturaliter unus est Deus. Inseparabilis igitur naturæ unitas non potest separabiles habere personas. Pater quidem ex omnibus quæ sunt solus est, quod sibi proprium est : et solus est in paternitatis persona, sed non per se solus est in deitatis essentia. Unigenitus Dei Filius ex solo Patre consubstantialiter et coessentialiter solus est genitus, et hoc est proprium suæ personæ, sed non per se est solus et singulariter unus in deitatis essentia. Spiritus sanctus ex Patre et Filio æqualiter procedit, et hoc est proprium suæ personæ. Unde non per se est solus et singulariter unus in deitatis essentia ; sed amborum, videlicet Patris et Filii spiritus, eiusdem substantiæ et æternitatis cum Patre et Filio, et idcirco inseparabilis est sancta Trinitas etiam in personis sensu intelligenda, quamvis in voce separabilia habeat nomina, quia pluralem numerum in naturæ nominibus nullatenus recipit. Verum 523 et in hoc ostenditur personas non posse dividi in sancta Trinitate, quia cujuslibet personæ nomen semper ad alteram respicit personam. Si Patrem dicis, Filium ostendis ; si Filium nominas, Patrem prædicas ; si Spiritum sanctum appellas, alicujus esse spiritum necesse est intelligas. » Non igitur, ut blasphematur Gothescalco, inde dicitur in Deo persona, quod per se sit una, more suo, videlicet hæreticorum more, profanas vocum novitates exquirens. Qui, ut beatus dicit Gregorius, dum laudari tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi nova quædam proferunt, quæ in antiquorum Patrum libris veteribus non tenentur. Sicque fit ut, dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant. Rectius autem Boetius quam Gothescalco, imo recte Boetius, quia non recte Gothescalco, personæ definitionem ex sapientum sententiis nobis protulit dicens : « Persona dicta est a *personando* ; circumflexa penultima. Quod si acuatur antepenultima, apertissime videbitur a *sono* dicta : » Et item : « Hoc interim

A constet, quod inter naturam personamque differre prædiximus : quoniam natura est cujuslibet substantiæ specificata proprietas, persona vero rationabilis naturæ individua subsistentia. Non igitur, ut Gothescalco mendaciter adinvenit, ideo dicitur in Deo persona, quod per se sit una. Exponat enim quid velit addere, cum dicit quod per se sit una. Et si dixerit iterato, licet absurdum sit, per se una persona, ut per se sit Pater, per se Filius, per se Spiritus sanctus, non stabit, quia licet Pater solus sit in paternitatis persona, Filius solus sit de Patre, id est de substantia Patris natus, Spiritus sanctus solus de Patre procedat et Filio, tamen relative Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus, quod Patris et Filii Spiritus sit, dicitur. » Unde S. Augustinus in libro sexto (*cap. 7*) de Trinitate dicit : « Non invenitur quomodo dici possit aut Pater solus, aut Filius solus, cum semper atque inseparabiliter et ille cum Filio sit, et ille cum Patre, non ut ambo sint Pater, aut ambo Filius, sed quia semper invicem, neuter solus. » Quod et de Spiritu sancto sentendum est. Si dixerit : Ideo dicitur in Deo persona, quod per se sit una deitas vel substantia, vel aliquid hujusmodi, hoc catholica fides non recipit, quoniam una eademque deitas, quæ Trinitatis est unitas, tota in singulis, tota est in tribus simul personis. Quapropter non debuerat dicere, exponens quare dicitur persona, per se, sed potius ad se, eo sensu sicut Augustinus in libro septimo de Trinitate dicit : Videlicet quia Pater et Filius et Spiritus sanctus in Trinitate relative dicuntur : persona vero Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti ad se dicitur. « Non, inquit Augustinus in præfato libro (*lib. vii de Trin., c. 6*), aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem. Nam esse ad se dicitur, persona vero relative, videlicet cum dicitur Pater vel Filius vel Spiritus sanctus ; et sicut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est : ita et persona Patris non aliud quam ipse Pater est. Ad se quippe 524 dicitur persona, non ad Filium, vel ad Spiritum sanctum, sicut ad se dicitur Deus, et magnus, et bonus, et justus, et si quid aliud hujusmodi ; et quemadmodum hoc illi est esse, quod Deum esse, magnum esse, quod bonum esse, ita hoc illi est esse, quod personam esse. Cur ergo non hæc tria simul unam personam dicimus, sicut unam essentiam et unum Deum, sed tres dicimus personas, cum tres deos aut tres essentias non dicamus, nisi quia volumus vel unum aliquod vocabulum servire huic significationi qua intelligitur Trinitas, ne omnino laceremus interrogati quid tres, cum tres esse fateremur ? Neque cum quislibet audierit Patrem solum Deum, separet inde Filium, aut Spiritum sanctum. Cum eo quippe solus Deus est, cum quo et unus Deus est : quia et Filium cum audimus, solum Deum sine ulla separatione Patris aut Spiritus sancti oportet accipere ; atque ita dicat unam essentiam, ut non existimet aliud alio vel majus, vel melius, vel aliqua

ex parte diversum. Non tamen ut Pater ipse sit et Filius et Spiritus sanctus, et quidquid aliud ad alterutrum singula dicuntur, sicut Verbum quod non dicitur nisi Filius, aut donum quod non dicitur nisi Spiritus sanctus: propter quod etiam pluralem numerum admittunt, sicut in Evangelio scriptum est, *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Et unum dixit, et sumus. *Unum*, secundum essentiam, quod idem Deus; *sumus*, secundum relativum, quod ille Pater, hic Filius. » Et in libro decimo quinto (lib. xv de Trin., c, 17): Spiritus quoque sanctus secundum Scripturas sanctas, nec Patris est solius, nec Filii solius, sed amborum, et ideo communem, quae se invicem diligunt Pater et Filius, nobis insinuat charitatem. Et sicut sapientia et Pater et Filius et Spiritus sanctus dicitur, et simul omnes non tres sed una sapientia: ita et charitas et Pater dicitur et Filius et Spiritus sanctus, et simul omnes una charitas: sic enim Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, et simul omnes unus Deus. » Unde et inseparabilis est, etiam in personis, sancta Trinitas sensu intelligenda. Et qui hanc etymologiam in persona mendaciter adinvenit, forte ut solet prave interpretabitur verba Boetii, dicentis in libro de Trinitate: « In rerum, inquit, numero non facit pluralitatem unitatum repetitio. Velut si de eodem dicam, gladius unus, mucro unus, ensis unus; velut si dicam, Sol, sol, sol, non tres soles effecerim, sed de uno toties praedicatur. Non igitur si de Patre ac Filio et Spiritu sancto tertio praedicatur Deus, idcirco trina praedicatio numerum facit. Et ut de persona compilavit quia dicit, « Sicut Deus dicitur trinus et unus, ita deitas debet et valet dici catholice trina et una. » Forte dicet: Ideo dicitur Deus trinus, quasi ter unus, et dicitur deitas trina, id est ter una. Contra quem hinc et se et nos defendat Boetius sine nulla interpositione subsequens cum dicit: « Non igitur si de Patre ac Filio et Spiritu sancto tertio praedicatur Deus, idcirco trina praedicatio numerum facit. Hoc enim illis, **525** ut dictum est, imminet, qui inter eos distantiam faciunt meritorum. » Et paulo superius: « Ubi vero nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas, quare nec numerus, igitur unitas tantum. « Nam quod tertio repetitur Deus cum Pater et Filius et Spiritus sanctus nuncupatur, tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsae sunt, id est in deitate, sicut inferius paulo demonstrat dicens: Catholicis vero nihil in differentia constituentibus, ipsamque formam ut est esse ponentibus, neque aliud esse quam est ipsum quod est opinantibus, recte repetitio de eodem quam enumeratio diversi videtur esse cum dicitur, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, atque haec Trinitas unus Deus, velut ensis, atque mucro, et gladius, unus gladius, velut sol, sol, sol, unus sol. Non vero ita dicitur Pater et Filius et Spiritus sanctus, quasi multivocum quiddam. Nam mucro, et ensis, et gladius, et ipse est et idem, Pater vero ac Filius et

A Spiritus sanctus, idem equidem est, non ipse. Non est igitur inter eos in re omni differentia quare subintret numerus, quem ex subjectorum diversitate confici superius explanatum est. Et hoc idem Dominus demonstrat in Evangelio, quod sub hoc sensu tradunt omnes doctores catholici, cum dicitur: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19). Non dicit *in nominibus*, sed *in nomine*, quia unum nomen unius Dei est, Pater et Filius et Spiritus sanctus, de quo scriptum est: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (Deut. vi, 5). Quapropter et si potest dici in personis Deus trinus, quasi quodammodo ter unus, quia Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, unius ejusdemque essentiae deitatis, quae est unitas trinitatis, tota in singulis, tota in tribus simul personis: non tamen potest catholice dici deitas trina, quasi ter una, quia una et indiscreta natura Patris et Filii et Spiritus sancti non est terna, vel trina, sive ter una in singulis, non est terna, vel trina, seu ter una in tribus, sed una et eadem, tota plena atque perfecta semper in singulis, tota plena atque perfecta in tribus simul personis, quae in se non habet numerum, nec in personis, in quibus relative dicitur Trinitas, aliquam differentiam. Trina quippe et trinitas habent vel numerus sunt, ut superius catholicorum verbis ostendimus. Unde cum ter sanctum hymnum offerimus, terque coadorandam deitatem cum supernis et caelestibus virtutibus conglorificamus, dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus, subsequimur Dominus Deus sabaoth, non Domini Dei sabaoth, et: Pleni sunt caeli et terra gloria tua, non gloria vestra, corde credentes ad justitiam, ore confitentes ad salutem cantamus. Sic enim sentit et scripsit Dionysius Arcopagites, et Cyprianus; sic Basilius Cappadocus, sic Gregorius Nazianzenus, sic Gregorius Nyssensis, sic Joannes Constantinopolitanus, sic Timotheus et Cyrillus Alexandrini episcopi; sic Epiphanius Cyprius, sic Hilarius et Augustinus, sic Hieronymus et **526** Prosper; sic Leo et sanctus Gregorius Romani pontifices, et Beda magister egregius, quorum omnia cum quibusdam testimoniis, quae ex eorum libris poteramus colligere, hic propter multipliciter et magnitudinem volumus annotare, omisimus, scientes quia quibus ista non suffecerint, nec plura proderunt. Et non est mirum, si talia ut praemisimus dicit, qui ab ineunte aetate semper vocum novitates exquisivit, et adhuc semper inquit, quatenus talia dicens quae nempe aliud dicit, innotesci et si non de bonis vel de pessimis possit. Nam et inter alia haeretica sua dicit haec dicit:

XVII.

÷ « Quando, *inquiens*, singillatim loquimur unamquamque ex Trinitate personam, non tu prorsus ad totam Trinitatem loquimur. Verbi gratia, Deo Patri utique lumini dicimus: *In lumine tuo videbimus lumen*, hoc est in filio tuo Spiritu

« sanctum. Item Filio : *Unxit te Deus, Deus tuus oleo*
 « *lætitie*. Item Spiritui sancto : *Nunc sancte nobis Spi-*
 « *ritus, unus Patris cum Filios* : Quapropter quando
 « singillatim solitarie sic supplicamus, et impetrasse
 « nos, vel impetrare, vel impetraturos esse cogno-
 « scimus, aut sentimus, aut credimus suppliciter
 « eidem personæ, cui tunc supplicavimus atque sup-
 « plicamus, dicere debemus : Tibi Deo gratias, et
 « cum ipsa persona cæteris duabus pariter : Vobis
 « Deo gratias. Est enim de tribus his personis in
 « pronomibus et verbis rite pluralitas receptibiliis;
 « quod probatur illa sententia Patris : *Faciamus ho-*
 « *minem ad imaginem et similitudinem nostram*. Non
 « ait *faciam*, quia non est ipse solus modo Pater,
 « modo Filius, modo Spiritus sanctus, sicuti som-
 « niant Sabelliani. Nec ait *ad imagines et similitu-*
 « *dines nostras*, quia non tres dii, ceu latrant
 « Ariani; sed, *Faciamus ad imaginem et similitudi-*
 « *nem nostram* : quia revera Dominus Deus noster
 « trinus et unus est, quemadmodum credunt et con-
 « fitentur catholici, veri videlicet Christiani. Quia
 « etiam de duabus ex Trinitate personis a Deo Dei
 « Filio numerus dicitur pluralis, *Ego et Pater unum*
 « *sumus*. Et *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus,*
 « *et ut ipsis in nobis sint*. Hinc et ego dixi crebro
 « Spiritui sancto : Veni, benedicte Deus, Domine Pa-
 « raclite, veni missus a benedicto Deo Domino Para-
 « clito, in nomine benedicti Dei Domini paracliti, et
 « ut sit semper omnis honor, laus, et gloria merito
 « vobis benedicto Deo Domino paraclito, trino et
 « uni, vestroque simul Benedicto nomini, nec non
 « et numini. Amen. »

XP. Hæc autem nunquam per nullius hæretici lin-
 guam serpentem antiquum sibilasse, nisi per os Go-
 thescalci, audivimus; nusquam nisi in suis scriptis
 legimus, in quibus cæcitatem illius vehementissime
 obstupescences horremus, quia de scripturis et ca-
 tholicorum dictis approbat Patris et Filii et sancti
 Spiritus unitatem ponens : *In lumine tuo videbimus*
lumen. Et, *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitie,*
 qua sanctus Spiritus designatur, et de verbis sancti
 Ambrosti dicens :

Nunc, sancte nobis Spiritus, unus Patris cum Filio,
 Et mox subjungit : Quapropter quando sigillatim
 solitarie supplicamus uni de Trinitate personæ,
 suppliciter eidem personæ, cui tunc **527** supplica-
 cavimus atque supplicamus, dicere debemus : Tibi
 Deo gratias, et cum ipsa persona cæteris duabus pa-
 riter : Vobis Deo gratias. Unde illi referendum est
 quod de hujusmodi dicit Apostolus, *dicentes se sa-*
pientes, stulti facti sunt (Rom. 1, 22). Quid enim stul-
 tius quam talia proferre, quæ nusquam probata in-
 venit, nunquam a quocunque dicta audivit? Et quod
 perstultum est, ad suam confirmandam sententiam
 talia Scripturarum testimonia protulit, quibus ipsa
 ejus sententia manifeste destruitur, et velut phrene-
 ticus funem portat quo vinciatur, et gladium porrigit
 quo interficiatur. *Gladium*, Apostolus inquit, *Spiritus,*
quod est verbum Dei (Eph. vi, 17). Scripturæ quippe

A sanctæ modo de Patre tantum loquuntur, ut : *Quam*
magnificata sunt opera tua, Domine (Psal. xci, 6); mo-
 do tantum de Filio, qui est Dei virtus et Dei sapientia,
 quæ dicit : *Gyrum cæli circuivi sola* (Eccli. xxiv, 8);
 modo de Spiritu sancto, ut : *Spiritus Domini replevit*
orbem terrarum (Sap. 1, 7); modo de Patre tantum et
 Filio, ut *Omnia in sapientia fecisti* (Psal. ciii, 24);
 et, *apud te est, Domine, fons vitæ* (Psal. xxv, 18); et
Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim
salutare meum. Nam et ipse Deus meus, et salutaris
meus (Psal. lxi, 2); qui dicit : *Ego a Patre exivi*
(Joan. xvi, 28); et : *A Deo processi* (Joan. viii, 42);
 et item psalmus : *In Deo salutare meum, et gloria mea*
(Psal. lxi, 8); sicut et ipse Filius dicit : *Ego in Patre,*
et Pater in me est (Joan. x, 38); et : *Ego et Pater*
unum sumus (Joan. x, 30). Modo etiam Spiritus sancti
 faciunt mentionem, ut : *In lumine tuo videbimus*
lumen (Psal. xxxv, 10), id est in Filio tuo Spiritum
 sanctum, qui æqualiter totus procedit a Patre, totus
 procedit a Filio, totus in Patre manet, totusque ma-
 net in Filio, et est amborum Spiritus, ac quædam
 Patris Filiique communio. Et item in Psalmis, totam
 sanctam et inseparabilem Trinitatem singillatim et
 apertissime nominans : *Verbo, inquit, Domini cæli*
firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum
(Psal. xxxii, 6). Hic Trinitas manifestissime decla-
 ratur, Dominus, Verbum, Spiritus Domini Patris
 et Verbi; quæ tota Trinitas unus est Deus, quod et
 Dominus in Evangelio demonstrat dicens : *Itē, bap-*
tizantes in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti
 C *(Matth. xxviii, 19)*. In nomine, inquit, non in nomi-
 nibus, ut et unum Deum per indistinctum divinæ
 essentiæ nomen ostenderet et personarum discre-
 tionem suis demonstratam proprietatibus edoceret.
 Sic et beatus David plenus Spiritu sancto distinxit,
 sed deitate inseparabiles personas non separavit,
 cum postquam locutus ad Patrem : *Quam magnifica-*
ta sunt opera tua, Domine (Psal. xci, 6) Filius quo-
 que commemorans dixit : *Omnia in sapientia fecisti,*
 et subjungens, *impleta est terra possessione tua* (Psal.
 cviii, 24), nullam pluralitatem in singulariter deita-
 tis sanctæ et inseparabilis Trinitatis more Gothes-
 calci adjecit, nec personæ quam non nominaverat
 ingratus esse pertimuit. Similiter quando dixit : *In*
lumine tuo videbimus lumen; prætende misericordiam
tuam scientibus te (Psal. xxxv, 10), singulari numero,
 et non *prætendite* plurali subjecit. Quando etiam di-
 xit : *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris*
ejus omnis virtus eorum (Psal. xxxii, 6), singularem
 numerum, et non pluralem, de eadem Trinitate lo-
 quens, subjecit dicens : *Congregans sicut in utre aquas*
maris (Psal. xxxii, 7). Aquas maris quasi in utre
 Dominus, sancta **528** videlicet et inseparabilis Tri-
 nitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, quorum
 sicut una est divinitas ita et una operatio, congregat,
 cum miro moderamine cuncta disponens, in suis
 clausas cordibus carnalium minas frenat. Uter quippe
 carnalis est cogitatio. Aquæ ergo maris in utre
 congregatæ sunt, cum amaritudo perversæ menti

non erumpit exterius in vocem pravæ libertatis. Sic et beatus Ambrosius multoties in hymnis suis aliquando Patris personam, aliquando Filii, aliquando Spiritus sancti, aliquando tres sanctæ Trinitatis personas alloquens, semper unum Deum unius deitatis sanctam Trinitatem, et non Patrem sine Filio et Spiritu sancto, non Filium sine Patre et Spiritu sancto, non Spiritum sanctum sine Patre et Filio intelligi, credi, et prædicari debere demonstrat. Ut de pluribus pauca dicamus, obsecrantes lectorem, ut si ejus vel aliorum catholicorum verba in hoc nostræ servitutis opusculo sæpius repetita invenerit, non inde mhi succenseat, quod in nominatissimorum virorum scriptis inveniet. Ait enim beatus Ambrosius :

Somno relictis artibus, spreto cubili surgimus.
Nobis pater canentibus, adesse te deposcimus

et sic per totum illum hymnum Patris personam exorat, sed non sine Filio et Spiritu sancto; et item per totum illum hymnum ad Filii personam loquitur dicens :

Christe, qui lux es et dies, noctis tenebras detegis.
et item, personam sancti Spiritus alloquitur, quem non sine Patre et Filio esse demonstrans dicit :

Nunc, sancte nobis Spiritus, unus Patris cum Filio.

Aliquando Patris et Filii personarum tantum mentionem faciens dicit :

Aurora cursus provehat, aurora totus prodeat.
In Patre totus Filius, et totus in Verbo Pater.

et item :

Consors paterni luminis, lux ipse lucis et dies,
Noctem canendo rupimus, adesto postulantibus,

Aliquando Filii et Spiritus sancti personas demonstrat dicens :

Christusque nobis sit cibus, potusque nostra sit fides,
Læti bibamus sobrie ebrietate Spiritus.

et item :

Christe, virtutum Domine, non ex virili semine,
Divinitatis unius, consorsque sancti Spiritus.

Aliquando totas tres sanctæ Trinitatis personas singillatim efferens, unius deitatis sanctam esse Trinitatem demonstrat, dicens :

Splendor paternæ gloriæ, de luce lucem proferens,
Lux lucis et fons luminis, diem dies illuminans.
Verusque sol illabere, micans nitore perpeti,
Jubarque sancti Spiritus infunde nostris sensibus.
Votis vocemus te Patrem, Patrem perennis gloriæ,
530 Patrem potentis gratiæ, culpam releget lubri-
[cam.

Et sive ad Patris personam, sive ad Filii, sive ad Spiritus sancti loquatur, singularem semper numerum subjicit, et non timet, ut Gothescalcus, cæteris personis esse ingratus, nec dicit ad alias personas, Vobis Deo gratias, sed dicit :

Perennes laudes dicimus, Patri Deo cum Filio,
Qui est vocatus ex Ægypto per suos famulos Deus.
Renati sancto Spiritu, lumen videmus muneris.
Sic te sequentes Dominum salvi erimus jugiter,

Et item,

Christum rogemus, et Patrem Christi, Patrisque Spi-
[ritum.
Unum potens per omniam fove precantes, Trinitas.

A Et in primo libro (cap. 5) de Fide dicit : « Jungat honorificentia Patri filium quem divinitas junxit : non separet impietas, quem generationis proprietas copulavit. » Et in libro (lib. 1, c. 3) de Spiritu sancto : « Si Christum dicas, et Deum Patrem, a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est Filium, et Spiritum quo unctus est designasti. Scriptum est enim, *Hunc Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto* (Act. x, 78). Et si Patrem dicas, et Filium ejus, et spiritum oris ejus pariter indicasti, si tamen id etiam corde comprehendas. Et si Spiritum dicas, et Deum Patrem a quo procedit Spiritus, et Filium quia Filii quoque est Spiritus, nuncupasti. Et non dehonoretur Pater sine Filio, nec Filius sine Patre, nec Spiritus sanctus sine Patre et Filio. » Hinc item beatus Ambrosius in eodem libro (cap. 3 sub finem) : « Cur, inquit, dixerit Dominus, *Qui blasphemaverit in filium hominis, remittetur ei : qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, nec hic, nec in futurum remittetur ei* (Marc. iii, 28), diligenter advertite. Nunquid alia offensa Filii, alia Spiritus sancti? Sicut enim una divinitas, sic una injuria. » Et paulo post : « Non potest ibi exoratio esse veniæ, ubi sacrilegii plenitudo est : quia qui Spiritum sanctum negavit, et Deum Patrem negavit et Filium. » Et orans idem beatus Ambrosius :

Nunc, sancte nobis Spiritus, unus Patris cum Filio,
Dignare promptus ingeri nostro refusus pectori.

bene intellexit, unum esse Deum Spiritum sanctum cum Patre et Filio, qui non refunditur humano pectori sive Patre et Filio, quia sicut una est divinitas, ita et una est voluntas, atque potestas, et operatio

C Patris et Filii et Spiritus sancti. Quod male intellexit Gothescalcus spiritu maligno repletus, proferens testimonium de hoc hymno : « Quando, inquit, singillatim solitarie sic supplicamus, suppliciter eidem personæ, cui tunc supplicavimus, dicere debemus: Tibi Deo gratias, et cum ipsa persona cæteris duabus pariter : Vobis Deo gratias, ne simus cæteris duabus personis ingrati. » Contra que blasphemia beatus Ambrosius in libro secundo de Fide (cap. 4, ante medium) dicit : « Didicimus unam Patris et Filii esse imaginem, unam similitudinem, unam sanctificationem. Didicimus unam operationem, unam gloriam, unam quoque divinitatem. Unus ergo et solus Deus, quia *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Matth. xiv, 10). » Testimonium quippe, quod in hac blasphemiasua Gothescalcus, ad suam confirmandum sententiam, ex Genesi prave exponens protulit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, ita beatus Ambrosius in libro primo (cap. 7) de Fide exposuit : « Cui, inquit, dicit Pater *Faciamus hominem*, nisi ad eum quem verum Filium sciret in quo nisi in vero suam imaginem regnosceret? Non est unum adoptivus et verus, nec Filius dicere unum sumus, si se cum uno qui verus non erat ipse conferret. *Faciamus ergo dicit Pater, qui dixit verus est. Potestne ergo verus non esse ille qui fecit, et*

quod dicenti defertur facienti negatur? Quomodo autem, nisi Filium verum sciret, committeret ei voluntatis suæ unitatem, et operis veritatem? Cum enim eadem faciat Filius opera quæ Pater facit, et quos vult vivificet Filius sicut scriptum est, nec indifferens potestate, et liber est voluntate. Ita unitas servatur, quia et virtus Dei in divinitatis proprietate est, et libertas non in aliqua differentia, sed in unitate est voluntatis. » Et beatus Augustinus, licet Gothescalcus de eo loquens multoties inculcare soleat dicens, Augustinus noster, peregrinus ab eo corde, ore, et opere, sensus humilitate, et fide, longe aliter hæc testimonia, unum de Evangelio, alterum de Genesi, in septimo libro (cap. 5) de Trinitate exposuit dicens : « Non, inquit, major essentia est Pater et Filius et Spiritus sanctus simul, quam solus Pater aut solus Filius, sed tres simul illæ subsistentiæ, sive personæ, si ita dicendæ sunt, æquales sunt singulis, quod animalis homo non percipit. Non enim potest cogitare nisi moles, et spatia, vel minuta, vel grandia, volitantibus in animo ejus phantasmatis, tanquam imaginibus corporum. Ex qua immunditia donec purgetur, credat in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum, solum, magnum, omnipotentem, bonum, justum, misericordem, omnium visibilium et invisibilium conditorem, et quidquid pro humana facultate digne vereque dici potest. Neque cum audierit Patrem solum Deum, separet inde Filium aut Spiritum sanctum. Cum eo quippe solus Deus, cum quo et unus Deus est; quia et Filium cum audimus solum Deum, sine ulla separatione Patris aut Spiritus sancti oportet accipere. Atque ita dicat unam essentiam, ut non existimet aliud alio vel majus, vel minus, vel aliqua ex parte diversum. Non tamen ut Pater ipse sit et Filius et Spiritus sanctus, et quidquid aliud ad alterutrum singula dicuntur, sicut Verbum, quod non dicitur nisi Filius, aut donum, non quod dicitur nisi Spiritus sanctus. Propter quod etiam pluralem numerum admittunt, sicut in Evangelio scriptum est : *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30), et unum dixit, et sumus : unum secundum essentiam, quod idem Deus; sumus secundum relativum, quod ille Pater, hic Filius. Aliquando et tacetur unius essentia, et sola pluraliter relativa commemorantur. *Veniemus ad eum, ego et Pater, et habitabimus apud eum* (Joan. xiv, 24). *Veniemus et habitabimus*, pluralis est numerus, quia prædictum est *Ego et Pater*, id est Filius et Pater, quæ relative ad invicem dicuntur. Aliquando latenter omnino, sicut in Genesi, *Faciamus hominem ad similitudinem nostram* (Gen. 1, 26), et *Faciamus et nostram* pluraliter dictum est, et nisi ex relativis accipi non potest. Non enim ut facerent *dii*, aut ad imaginem et similitudinem deorum, sed ut facerent Pater et Filius et Spiritus sanctus ad imaginem Patris et Filii et Spiritus sancti, ut subsisteret homo imago Dei, Deus autem Trinitas. Sed quia non omni modo æqualis fiebat illa imago Dei, tanquam non ab illo nata, sed ab

A eo creata, hujus rei significandæ causa ita imago est, ut ad imaginem sit, id est non æquatur parilitate, sed quadam similitudine accedit. Non enim locorum intervallis, sed similitudine acceditur ad Deum, et dissimilitudine receditur ab eo. » Et in bro duodecimo (cap. vi) : « Dixit enim Deus *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1, 26). Paulo post autem dictum est, *et fecit Deus hominem ad imaginem Dei*. Nostram certe, quia pluralis est numerus, non recte diceretur, si homo ad unius personæ imaginem fieret, sive Patris, sive Filii, sive Spiritus sancti. Sed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum est ad imaginem nostram. Rursum autem, ne in Trinitate credendos arbitraremur tres deos, cum sit eadem Trinitas unus Deus, *Et fecit, inquit, Deus hominem ad imaginem Dei* : pro eo ac si diceret, ad imaginem suam. » Hic manifeste ostendit sanctus Augustinus mentiri et hæretice loqui Gothescalcum, qui dicit : « Quando singillatim solitarie supplicamus uni ex Trinitate personæ, suppliciter eidem personæ, cui tunc supplicavimus atque supplicamus, dicere debemus : Tibi Deo gratias, et cum ipsa persona cæteris duabus pariter, Vobis Deo gratiam. « Scriptum est enim et in Lege et in Evangelio : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Unde Ambrosius in libro secundo de Fide (cap. 4, ante medium) : « Didicimus unam Patris et Filii esse imaginem, unam similitudinem, unam sanctificationem; didicimus unam operationem, unam gloriam, unam quoque divinitatem. Unus ergo et solus Deus, quia scriptum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Matth. iv, 10). Unus Deus, non ut ipse sit Pater et Filius, sicut impius Sabellius asserit : sed quia Patris et Filii Spiritusque sancti una divinitas sit. Ubi autem una divinitas, una voluntas, et una præceptio. » Et Augustinus in epistola ad Maximum (epist. 66, sub initium) : « Si et Patri et Filio et Spiritui sancto latria debetur et exhibetur a nobis, de qua dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Deut. vi, 3), procul dubio Dominus Deus noster, cui soli per latriam servire debemus, non est Pater solus, nec solus Filius, nec solus Spiritus sanctus, sed ipsa Trinitas unus Deus solus, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Non quo ipse sit Pater qui Filius, vel Spiritus sanctus ipse sit aut Pater 532 aut Filius : cum sit in illa Trinitate Pater Filii solius, et Filius Patris solius, Spiritus autem sanctus et Patri et Filii sit Spiritus. Sed propter unam eandemque naturam, atque inseparabilem vitam, ipsa Trinitas, quantum ab homine potest, fide præcedente intelligatur unus Dominus Deus noster, de quo dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. » Et in libro de Doctrina Christiana (lib. 1, c. 3) : « Trinitas hæc unus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ita Pater et Filius ac Spiritus sanctus, et singulus quisque horum, plena substantia, et simul omnes una substantia. Pater nec Filius est, nec Spiritus

sanctus; Filius nec Pater est, nec Spiritus sanctus; Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius. Sed Pater tantum Pater, et Filius tantum Filius, et Spiritus sanctus tantum Spiritus sanctus. Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem majestas, eadem potestas. In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia. Et tria hæc unum propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum. » Et in tractatu psalmi quinti : « Et hæc Trinitas non nisi unus Deus : quia cum dixisset Apostolus, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, Trinitatem ipsam insinuasse creditur, nec tamen subjecit, ipsis gloria, sed *ipsi gloria*. » Soli ergo Deo Patri et Filio et Spiritui sancto una debetur adoratio, gloria, et servitus, et gratiarum actio, et non separatim, ut Gothescalcus blasphematur : quia ut item Augustinus in libro quinto, et in libro octavo de Trinitate dicit : « Quidquid substantialiter in Patre et Filio et Spiritu sancto dicitur, non pluraliter, sed singulariter dici debet et accipi, ut Deus magnus, bonus, omnipotens, sicut scriptum est, *Tu es Deus solus* (Psal. LXXXV, 10); et, *Nemo bonus nisi unus Deus* (Luc. XVIII, 19). » Uni igitur et soli Deo et una gloria, et una gratiarum actio debetur, ut idem Augustinus alibi monstrat dicens : Una est igitur Patris et Filii et Spiritus sancti essentia, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Quod nobis maxime in ipso sanctarum Scripturarum demonstratur initio, ubi Deus dicit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1, 26). Cum enim singulari numero dixit imaginem, ostendit unam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret. Cum vero dicit pluraliter nostram, ostendit Deum, ad cuius imaginem homo fiebat, non unam esse personam. Si enim illa una essentia Patris et Filii et Spiritus sancti una esset persona, non diceretur ad imaginem nostram, sed ad imaginem meam; nec dixisset, *Faciamus*, sed, *Faciam*. Si vero in illis tribus personis tres essent intelligendæ vel credendæ substantiæ, non diceretur ad imaginem nostram, sed ad imagines nostras. Ad unam quippe imaginem unius Dei homo factus dicitur, ut una sanctæ Trinitatis essentialiter divinitas intimetur. De exemplo autem evangelico, *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30), **533** Ambrosius scribit (*lib. 1 de Fide, cap. 1*) : « Unum, inquit, dixit, ne fiat discretio potestatis et naturæ : *sumus* addidit, ut Patrem Filiumque cognoscas, quod perfectus Pater perfectum Filium genuisse credatur, et Pater ac Filius unum sint, non personarum confusione, sed unitate naturæ. » Et Augustinus in libro contra quinque hæreses : « Perceant, inquit, vaniloqui et mentis seductores, Arianus et Sabellianus. Nam *Ego et Pater unum sumus*. Non dixit, *Ego et Pater unum sum*, sed *ego et Pater unum sumus*. Quod dico *unum*, audiat Arianus; quod dico *sumus*, audiat Sabellianus. Non dividat Arianus

A *unum*, non debeat Sabellianus *sumus*, sed ambo veniant, et sint etiam ipsi in nobis unum, sicut ergo et Pater unum sumus. Ergo si Pater et Filius sunt, imo quia indubitanter unum sunt, non duo sed unus Deus, et reliqua quæ ibi prosequitur. » Et item de alio Evangelii quod posuit testimonio. *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus* (Joan. XVII, 21), Augustinus dicit : « Illi in sua natura unum in charitate, nos in nostra unum sumus in unitate substantiæ et gloriæ. *Ego in eis et tu in me*. Ego in eis sicut caput in membris, et tu in me sicut Pater in Filio; *ut sint consummati in unum*, id est perfecti, quod perficiet qui nos voluit unum esse in se et per se; *ut cognoscat mundus quia tu me misisti et dilexisti eos sicut et me dilexisti* (Joan. XVII, 23). **B** *Dilexisti eos*, ut essent quod non erant; *dilexisti me*, ut essem quod semper fui; *dilexisti me sicut unicum*, illos utique sicut adoptivos. *Dilexisti eos*, ut per me in te essent; *dilexisti me*, ut per te in te essem. » Contra hoc quod solus inter omnes hæreticos dixisse legitur : « Qui dicit unicuique personæ, Tibi Deo gratias, atque æque cæteris duabus personis : Vobis Deo gratias, revera catholicus est, ac verus utique Christianus, et hinc se crebro dixisse fatetur Spiritui sancto : Veni, benedicte Deus Domine paraclite, veni missus a benedicto Deo Domino paraclito, in nomine benedicti Dei et Domini paracliti; et : Sit semper omnis honor, laus, et gloria merito vobis benedicto Deo Domino paraclito trino et uni, vestroque simul benedicti nomini, necnon et numini. Amen. » Sanctus Gregorius loquens in homilia decima sexta Ezechielis prophetæ, aliter quam Veteris ac Novi Testamenti electi Deum homines senserunt cum sentire convincit, dicens « Spirituales, inquit, illi Patres omnipotentem Deum Trinitatem ita esse crediderunt, sicut eamdem Trinitatem novi Patres aperte locuti sunt. Isaias namque audivit angelica agmina in cælo clamantia, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth* (Isa. VI, 3). Ut enim personarum Trinitas monstraretur tertio sanctus dicitur; sed ut ut esse substantia Trinitatis appareat, non Dominus sabaoth, sed Dominus esse perhibetur. Quod David quoque similiter sentiens ait : *Benedicat nos Deus noster, benedicat nos Deus* (Psal. LXVI, 8), cum tertio dixisset Deum, ut unum hunc esse ostenderet, subdidit : *Et metuant eum omnes fines terrarum*. Paulus quoque loquens dicens : *Quoniam ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia*. Ex ipso videlicet **534** ex Patre; per ipsum, per Filium; in ipso autem in Spiritu sancto. Quem ergo ipsum cum tertio dixisset, adjunxit : *Ipsi gloria in sæcula sæculorum*. Qui enim non dicit ipsis, sed ipsi dicendo ipsum, distinxit personas, et subjungendo *ipsi gloria*, non divisit substantiam. » Quo contra Gothescalcus, quasi alius se intelligere efferens sanctæ Trinitatis personarum divinitatem, quam angelici Seraphim in cælo virtutes, inter quas et Deum nulli alii spiritus intersunt, et illa etiam agmina cœlestia

quæ plenitudo scientiæ nominantur, dignitate præcellunt. Et quasi rectius interpretans quod illæ velut non intelligentes quid dicerent cantaverunt, quam Isaias, qui easdem virtutes cœlestes hymnum Deo dignum cantantes audivit; et profundius sensu capiens canticum psalmi Davidici, quam ipse David, qui super seniores suos, et super omnes docentes se intellexit; et altius mente percipiens quæ dans sine mente sonum Paulus dixit, qui usque ad tertium cœlum raptus fuit, et in paradiso arcana verba audivit, et per quem, ut isdem confitetur, locutus est Christus, non sic insipienter, sicut videtur sibi visum fuisse, ut agmina dixerunt cœlestia: *Plena est omnis terra gloria ejus*, vel sicut inde catholica docta cantat Ecclesia: *Pleni sunt cœli et terra gloria tua*; non intelligens dicere: pleni sunt cœli et terra gloria vestra; et: *Metuant cum, et non metuant vos omnes fines terræ; et ipsi gloria, et non vobis gloria*, dixit in conclusione suæ laudationis atque orationis, quin potius blasphemationis:

XVIII.

÷ « Sit semper vobis honor, laus, et gloria, merito
 « vobis benedicto Deo Domino paraclito trino et uni,
 « vestroque simul benedicto nomini et numini,
 « Amen. » Itemque post præfata subsequitur: « Cum
 « sit ex Trinitate, ceu liquet, unaquæque persona
 « per se Dominus Deus. » Et paulo post: « Sicut et
 « in Psalmo: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?*
 « de Patre dicitur, ut declarat illud quod de Filio
 « sequitur: *Ab ipso enim salutare meum. Nam et ipse*
 « *Deus meus et salutaris meus*, hoc est Jesus meus. C
 « Ubi dum non dicitur: Nam ipse Deus meus, sed po-
 « tius, *et ipse Deus meus*, procul dubio patefecit et pa-
 « tefacit Deus Spiritus sanctus, quod sicut Deus Pater
 « est per se Deus, sic est et Filius. Igitur ubicunque
 « tacito Dei vel Domini nomine nominatur Pater
 « et Filius et Spiritus sanctus, ut est illud: *Bapti-*
 « *zantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus*
 « *sancti*, unaquæque persona semper Dominus Deus
 « debet intelligi. Tale est illud: *Paraclitus autem,*
 « *quem mittet Pater in nomine meo*. Misit namque,
 « mittit, et mittet Deum Deus in nomine Dei. Ideo
 « dixi non longe superius: Uni ex Trinitate per-
 « sonæ, cui singillatim solitarie supplicamus, debere
 « dici: *Tibi Deo gratias*, et ne simus cæteris dua-
 « bus personis ingrati, oportere subjici, *Vobis Deo*
 « *gratias*. Quia quisquis loquens ad unam per-
 « sonam dicit, *Tibi Trinitati Deo gratias*, pene
 « sic errat ut Judæus et Sabellianus. Porro qui
 « dicit, *Vobis diis gratias*, aut paganus est aut
 « Arianus. At qui dicit unicuilibet personæ, *Tibi*
 « *Deo gratias*, atque æque cæterisque duabus per-
 « sonis, *Vobis Deo gratias*, revera catholicus 525
 « est, ac verus utique Christianus. »

xp. Contra has antea inauditas blasphemias, sanctus Ambrosius in libro primo de Fide capite primo dicit: « Assertio, inquit, nostræ fidei hæc est, ut unum Deum esse credamus; neque, ut gentes, Fi-

lium separemus; neque, ut Judæi, natum ex Patre, ante tempora et ex Virgine postea editum denege-
 mus; neque, ut Sabellius, Patrem confundamus et Verbum, ut eundem Patrem asseramus et Filium; neque, ut Photinus, initium Filii ex Virgine deputemus; neque, ut Arius, plures credendo et dissimiles potestates, plures deos gentili errore faciamus, quia scriptum est: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (Deut. vi, 4). Deus enim et Dominus nomen magnificentiæ, nomen est potestatis, sicut ipse dicit: *Dominus Deus nomen est mihi* (Exod. iii, 15), et sicut alibi propheta asserit, *Dominus Deus omnipotens nomen est ei* (Exod. xv; Isa. xlii). Dominus ergo et Deus, vel quod dominetur omnibus, vel quod spectet omnia, et timeatur a cunctis. Si ergo unus Deus, unum nomen, una potestas, una est Trinitas. Denique ipse dicit: *Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19). *In nomine* utique, non in nominibus. » Non igitur sanctus Ambrosius uni ex Trinitate personæ singillatim solitarie, sicut Gothescalcus, supplicando debere dici docuit: *Tibi Deo gratias*, et ne simus cæteris duabus personis ingrati, oportere subjici, *Vobis Deo gratias*: quia unius Dei nomen est Pater et Filius et Spiritus. Sicut Athanasius in libro primo de Fide ostendit dicens: « Hæc est, inquit, materiæ formula in conclusione hæreticorum, et hæc tituli victoria in absolute catholicorum, quam significat principale mandatum Dei: *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19). Audi in hoc admirabile ac regale decretum, in quo omne sacramentum in deitate Trinitatis uniter continetur. Qui dixit *in nomine*, evidenter unam deitatem in Trinitate consistere declaravit, et quod prosecutus est, *Patris et Filii et Spiritus sancti*, per singula nomina singulas personas inesse distinxit. » Et item in eodem libro. « *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (Psal. xxxii, 6). Utique Verbum Filium indicavit, Dominum autem Patrem esse designavit, et spiritum oris ejus Spiritum sanctum dixit. Vides in his personis unitum esse nomen Trinitatis in natura, Psalmographo quoque approbante: *Propterea unxit te Deus Deus tuus* (Psal. xlv, 6). Ecce Deum et Deum, non tamen pluraliter invenies dictum in his personis deos. » Sed nec Athanasius uni singulariter personæ posse supplicari, aut debere dici: *Tibi Deo gratias*, et cæteris personis: *Vobis Deo gratias*, docuit. Et item idem in libro alio de Trinitate: « Nunquid prævaricatores mandati Salvatoris apostoli effecti sunt, et contra traditionem ejus baptizaverunt tantam multitudinem? Non enim scriptum est quia baptizaverunt in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, sed tantum in nomine Domini Jesu. Sed non sunt prævaricati, absit. Nam licet Filii nomen 536 tantummodo dicatur, habet tamen Patrem et Spiritum sanctum pronuntiatum, sicut in Scripturis sanctis probavimus. Itaque et Spiritus sanctus Sabaoth dicitur, et est cum Deo et cum

Filio a Seraphim adoratus; propter quod hæc ter dicunt Sanctus, Sanctus, Sanctus, ut Trinitatem pronuntiarent. » Hinc et sub hoc sensu hanc quæstionem beatus solvit Ambrosius. Et sanctus Augustinus, de quo Gothescalcus multoties dicit *Augustinus noster*, ut alienus a Gothescalco et illi contrarius, et non suus proprius vel domesticus, contra eum in libro contra quinque hæreses dicit: « Qui Spiritum sanctum a Patre et Filio æternitate et substantia vel communione separat, et qui negat Spiritum esse et Patris et Filii, plenus est spiritu immundo, vacuus Spiritu sancto. » Videtur enim separare in sancta Trinitate personas Gothescalcus, qui dicit: « Cum sit ex Trinitate, ceu liquet, una quæque persona per se Dominus Deus, et uni ex Trinitate personæ, cui singillatim solitarie supplicamus dicit debere dici: Tibi Deo gratias, et ne simus cæteris personis ingrati, oportere subjici, Vobis Deo gratias. » Quapropter sicut Augustinus, de quo non jactanter et mendaciter, ut Gothescalcus, sed lætanter et veraciter catholica Ecclesia Augustinus noster dicit, in præfato libro fatetur, plenus est Gothescalcus hæc dicens spiritu immundo, vacuus Spiritu sancto. Contra hoc quod dicit Gothescalcus vacuus Spiritu sancto: « Cum sit ex Trinitate ceu liquet unaquæque persona, cui singillatim solitarie supplicamus, » per se Dominus Deus, dicit plenus Spiritu sancto Jesus Dominus Deus: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Et item: *Philippe, qui videt me videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est* (Joan. xiv, 9, 10)? Quod beatus Augustinus eodem Spiritu sancto afflatus exponens dicit (*tract. in Joan.*): « Cur inseparabiles separatim desideras nosse? » Deinde non ad solum Philippum, sed ad eos pluraliter loquitur: « *Verba quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor: Pater autem in me manens ipse facit opera* (*ibid.*). Quid est a me ipso non loquor, nisi a me ipso non sum qui loquor? Ei quippe tribuit quod facit, de quo est ipse qui facit. Pater enim Deus non est de aliquo, Filius autem Deus est quidem Patri æqualis, sed de Patre Deo. Ideo ille Deus, sed non de Deo, et lumen, sed non de lumine; iste vero Deus de Deo, lumen de lumine. » Denique adjungit, et ait: « *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite* (*ibid.*). Antea solus Philippus arguebatur, nunc autem non ubi eum solum fuisse qui esset arguendus ostenditur: *Propter opera ipsa*, inquit, *credite quia ego in Patre et Pater in me est*. Neque enim, si separati essemus, inseparabiliter operari ulla ratione possemus. » Et in sermone ad populum, ubi exposuit quæ sit irremissibilis blasphemia in Spiritum sanctum, ait ita inter cætera (*de Verb. Dom. serm. 11, cap. 16*): « Hæc ita dicuntur, ut tamen inseparabilis intelligatur operatio Trinitatis; ita ut cum operatio Patris dicitur, non eam sine Filio et Spiritu sancto intelligatur operari; et cum operatio Filii, non sine Patre et Spiritu sancto; et cum operatio Spiritus

sancti, non sine Patre et Filio. Satis notum est recte credentibus, vel etiam ut possunt intelligentibus, et ideo illud dictum esse de Patre, *Ipse facit opera*, quod ab illo sit origo etiam operum, a quo est existentia cooperantium personarum: quia et Filius de eo natus est, et Spiritus sanctus principaliter de illo procedit, de quo natus est Filius, et cum quo illi communis est idem Spiritus. » Ecce quomodo mentitur Gothescalcus, dicens Augustinum esse suum, *Augustinus* inquit multoties *noster*. Nam claret quia Gothescalcus non est Augustini, quoniam non credit, nec dogmatizat sicut Augustinus, nec Augustinus est Gothescalci, quia dissentit a Gothescalco, et catholice sentit, quod non facit Gothescalcus, dicens quia Pater est Deus, sed non de Deo, Filius est Deus, sed Deus de Deo, et non sic dicit, sicut Gothescalcus falso dicit, quia unaquæque ex Trinitate persona per se sit Dominus Deus. Sed et testimonium, abusum a Gothescalco ad suam confirmandam sententiam, quo dicit Dominus, *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*, longe aliter exponit sanctus Gregorius Spiritu sancto repletus, quam Gothescalcus spiritu immundo impletus. Ait enim beatus Gregorius in homilia Evangelii trigesima: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis* (Joan. xiv, 26). Nostis, plurimi fratres mei, quod Græca locutione *paracletus*, Latina *advocatus* dicitur, vel *consolator*: quia idcirco *advocatus* dicitur, quia pro errore delinquentium apud justitiam Patris intervenit. Quia unius substantiæ cum Patre et Filio, exorare pro delinquentibus perhibetur, quia eos quos repleverit exorantes facit. De quo paraclete Spiritu item Dominus dicit: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis*. (Joan. xv, 26, 27). In qua sententia notandum in primis sanctus Beda doctus mirabilis ex catholicorum verbis et sensibus in homilia Evangelii dicit, quod Dominus Spiritum veritatis et a se mittendum esse testatur, et eundem mox a Patre procedere subjungit: non quia idem Spiritus aliter a Patre procedit, quam cum a Filio mittitur; sed ideo Filius eum a se mitti, a Patre dicit procedere, ut aliam Patris, aliam suam personam designet, et in eadem distinctione personarum, unam esse operationem ad voluntatem suam cum Patris voluntate et operatione denuntiet. Cum enim ejusdem Spiritus gratia datur hominibus, mittitur profecto Spiritus a Patre, mittitur et a Filio procedit a Patre, procedit et a Filio, quia et ejusmissio ipsa processio est, qua ex Patre procedit a Filio. Venit et sua sponte, qui sicut cœqualis est Patri et Filio, ita eandem habet voluntatem cum Patre et Filio communem: *Spiritus enim ubi voluit spirat* (Joan. iii, 8). Et sicut Apostolus enumerationis donis cælestibus, ait: *Hæc omnia operatur unus et*

528 que idem spiritus, dividens singulis prout vult (1 Cor. xii, 11). Ut ergo singillatim Dominus Deus omnipotens, increatus, immensus, æternus, et quidquid ad se de Deo dicitur, est Pater : sed non per se solitarie sine Filio ex sua substantia genito, et Spiritu sancto qui ex ipso Filioque procedit : ita singillatim Dominus Deus omnipotens, increatus, immensus, æternus, et quidquid ad se de Deo dicitur, est Filius; sed non per se solitarie sine Patre ex quo est, et sine Spiritu sancto qui ex Patre et ex ipso procedit : ita singillatim Dominus Deus omnipotens, increatus, immensus, æternus, et quidquid ad se de Deo dicitur, est Spiritus sanctus; sed non per se solitarie sine Patre et Filio ex quibus procedit. Singillatim namque et per se solitarie dicimus Deum Patrem, et quidquid ad se de Deo dicitur : Quia relative in hac sancta et individua atque inseparabili Trinitate singillatim singulus videlicet unus est Pater, singillatim singulus videlicet unus est Filius, singillatim singulus videlicet unus est Spiritus sanctus, et Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, deitas, natura, essentia, substantia, æqualis gloria, coæterna majestas. Et quamvis alius sit Pater, alius Filius, aut Spiritus sanctus, non est tamen diversa substantia Patris et Filii et Spiritus sancti, quia non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus. Et Pater et Filius et Spiritus sanctus non dicitur secundum substantiam, sed secundum relativum : quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile. In Deo enim nihil secundum accidens dicitur, quia nihil est in eo mutabile. Cum itaque, ut Augustinus dicit, tantus sit solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater et Filius et Spiritus sanctus, propter unam eandemque individua etque inseparabilem, plenam perfectamque substantiam, id est deitatem, quæ est tota in singulis, tota in tribus simul personis: habent tamen singulæ in sancta Trinitate personæ aliquid proprium, quo inseparabili æqualitate aliquam in se ostendant proprietatem. Pater solus Pater, Filius solus Filius, et Spiritus sanctus solus Spiritus sanctus. Et Pater hoc habet proprium, quia ab alio non est, ac per hoc solus est in paternitatis persona, non solus in deitatis essentia. Unigenitus vero Filius Dei hoc habet proprium, quod ex solo Patre consubstantialiter et coessentialiter solus genitus est, et in hoc personæ suæ proprietes est. Spiritus sanctus itaque hoc habet proprium, quod ex Patre et Filio æqualiter procedit, et est amborum Spiritus ejusdem substantiæ et æternitatis cum Patre et Filio. Sed hæc tria vere etiam tria sunt, ineffabiliterque tria, et essentialia tria, habentia proprietates suas. Et hæc tria unum et vere unum, et hoc unum tres, sed non tres patres, nec tres filii, nec tres spiritus sancti, sed tres personæ, unus Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus, et hi tres, id est Pater et Filius et Spiritus sanctus, unum sunt in natura, omnipotentia et æternitate. Ideo, inquit sanctus Athanasius, unus

529 Deus quia unita est deitas, sicut per personas scriptum est: et quia nullus est I unus, vel hoc, *Audi, Israel, Dominus Deus unus est*, per singulas personas dicit esse deitatem: et non, ut Gothescalcus per serie uni ex trinitate personæ supplicare debet: Et item sanctus Athanasius dicit (lib. 1 de nom. Trinit.): « An ignoras quia Pater unus est, et Filius unus Deus est, et Spiritus sanctus Deus est? Nonne unus Deus est, dum unitum non est in natura usiæ? sic et unus Spiritus est, quia unus est ejusdem deitas. Nam si tu per singula non personarum unitum nomen Spiritus ter designa, nunquid tres spiritus dicere oportet? absit. Quo hoc poterat dici, tale erat ut et hoc in confessi deberet introduci, tres deos plurali numero nunciari, ut jam non esset in his personis una natura divinitatis, sed unusquisque in propria vel diversa natura sua consisteret, quod absit. » « Quidquid ergo ut beatus Augustinus dicit, ad se dicitur de Patre, Filio et de Spiritu sancto, id est quidquid dicitur quod substantiam eorum ostendit, non dicitur de alio sine alio : quia nec Pater est Deus sine Filio et Spiritu sancto, nec Filius est Deus sine Patre et Spiritu sancto, nec Spiritus sanctus est Deus sine Patre et Filio, quorum est spiritus. Si ergo interrogatus fueris de Deo, cur dicatur Pater, relative responde. Quia Filium habet : ita etiam et de Filio relative responde, ideo esse Filium quia habet Patrem, et de Spiritu sancto, quia de Patre Filioque procedit, quorum est spiritus. Si etiam dictum tibi de Deo fuerit, quomodo Pater hoc est quod Filius, aut Filius hoc est quod Pater, responde, secundum substantiam hoc est Filius quod Pater, et Pater quod Filius, et Spiritus sanctus quod Pater et Filius, quia unus est Deus, et una substantia, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ad se enim Deus substantialiter dicitur: Ad Patrem Filius, vel ad Filium Pater, et ad Patrem et Filium Spiritus sanctus relative dicitur. Juxta personæ proprietatem, non est Pater qui Filius, nec Filius qui Pater, nec Spiritus sanctus qui Pater et Filius. Juxta substantiæ unitatem, hoc est Pater quod Filius, hoc est Spiritus sanctus quod Pater et Filius, id est unus Deus omnipotens. Quidquid ergo ad se ipsum dicitur Deus, et de singulis personis dicitur, Patre et Filio et Spiritu sancto, et simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter dicitur. » Igitur Gothescalcus perverse dicit, ut revera hæreticus, « cum uni ex Trinitate personæ singillatim solitarie supplicamus, debere dici : Tibi Deo gratias; et ne simus cæteris duabus personis ingrati, oportere subjici : Vobis Deo gratias. » Quo contra vir venerandus Alcuinus, in libro ex beati Augustini et cæterorum catholicorum dictis ad Carolum magnum imperatorem collecto dicit (lib. 1 de Trin. c. 12) : Hoc etiam atque etiam firmiter tenendum est, nihil in sancta Trinitate ad se dictum plurali numero esse dicendum, quia simplex illa summæ divinitatis na-

tura singulari numero designari debet, 540 non plurali. Ac ideo nec tres deos, nec tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos, nec tres essentias in Deo dicere fas est. Cum enim personaliter alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, his tamen unum est naturæ nomen, quod dicitur Deus, vel substantia, vel essentia, vel omnipotentia, vel alia multa quæ substantialiter non relative de eo dicuntur. » Fides igitur catholica, ut Athanasius dicit, hæc est, ut unum Deum in trinitate personarum et trinitatem personarum in unitate deitatis veneremur, neque confundentes personas, ut tres non sint, neque substantiam separantes, ut trina sit. Et in hac Trinitate nihil est prius, nihil posterius: nihil majus aut mirus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales, ita ut per omnia, et unitas deitatis in trinitate personarum, et trinitas personarum in unitate deitatis veneranda est. » Plura hic poni poterant catholicorum testimonia quæ lector fidelis ac devotus in suis locis prævalet invenire, contra has ipsius blasphemias, quas etiam et sacri canones cum auctore suo redarguunt et refutant. Nam canones Carthaginensis concilii sub Aurelio constituerunt, ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet, et cum altari assistitur, semper ad Patrem per Filium oratio dirigatur, et quasque sibi preces describit, non eis utatur, nisi prius eam cum instructoribus fratribus contulerit. Unde in fine orationum assistentes sacro altario sancta catholica Ecclesia postulat per Christum Dominum nostrum: et in fine canonis. Per Christum Dominum nostrum, per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritu sancti omnis honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum: vel ita dicit, Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum, Amen. Propter illud utique sacramentum, sicut in orthodoxorum dictis relegendimus, quod Mediator Dei et hominum factus est homo, Christus Jesus sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui per proprium sanguinem introivit in sancta, non utique manu facta exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, ubi est in dextera Dei, et interpellat pro nobis. Hoc in eo pontificatus officium interpretans Apostolus ait: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum nostrorum confitentium nomini ejus (Hebr. XIII, 15).* Per ipsum ergo hostiam laudis atque vociferationis offerimus, quia per ejus mortem reconciliati sumus cum inimici essemus. Per ipsum enim, qui pro nobis hostia dignatus est fieri, potest in conspectu Dei nostri hostia acceptabilis inveniri. Propterea nos beatus Petrus admonet dicens: *Et vos tanquam lapides vivi coedificamini in domum spiritalem, in sacerdotium sanctum offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum (I Petr. II, 5).* In qua conclusione orationum plures convincuntur hæretici, Manichæi videlicet, Sa-

belliani, Ariani, Nestoriani, Eutychiani, Macedoniani; 541 Eudoxiani, cæteræque pestes et tinæ catholice fidei, qui de consubstantialitate atque coæternitate simul et æqualitate Patris et Filii et Spiritus sancti, nec non et de Incarnatione Filii Dei Domini nostri Jesu Christi, aliter quam catholica fides tenet, sentire vel dicere præsumperunt. Dicitur etiam in fine quarundam orationum a catholica et apostolica Ecclesia loquente ad Dominum Jesum Christum: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum: quod non discordat a præfata canonice constitutionis capitulo; quia non cum Patre Filius nominatur, sed proprie in hac conclusione sanctæ Trinitatis personæ distinguuntur. et unitas ejusdem sanctæ et individue Trinitatis substantia catholice confitetur: licet Gothescalcus scribens ad quemdam complicem suum hoc reprehendit, « Ab imperitis, inquit, non bene dicitur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, ne Filius, quod absit, esse Spiritus sancti Deus putetur. » Et quia in hoc catholicam reprehendit Ecclesiam, consequens est ut etiam reprehendat caput et auctorem ipsius dicentem ad Patrem: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te verum et solum Deum, et quem misisti Jesum Christum (Joan. XVII, 3);* et dicat nos intelligere Patrem solum et verum Deum, et illum quem misit tantum esse Jesum Christum. Catholica autem Ecclesia cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deum Filium vivere et regnare per omnia sæcula credit et confitetur: et id ipsum esse intelligit, Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, quod est cum dicitur. Qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivis et regnas Deus. Sicut intelligit a ipsum esse quod Dominus in Evangelio dicit: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum; et quem misisti Jesum Christum; quod est: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum, solum et verum Deum esse.* Subsequitur autem sibi ipsi dissimilis in eodem scripto mox dicens: « Nam cum Deo Patre vivit et regnat Deus Filius, juxta illud, *et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan. I, 1).* Ecce Deus apud Deum. Pariliter etiam credimus, novimus, et confitemur apud Deum Patrem, et apud Deum Filium, regnare Deum Spiritum sanctum: abest tamen deorum pluralitas, ubi est naturæ, essentia, substantiæ, majestatis, potestatis, deitatis unitas et æqualitas. » Et post hanc unitatis confessionem statim componit hanc infidelem orationem dicens: « Dominator Domine Deus meus, misericordia mea Jesu Christe rex gloriæ, precor te, gratis exaud me secundum tuam divinitatem, et Patrem tuum Dominum Deum nostrum roga secundum tuam humanitatem, ut ipse noster benedictus Deus Dominus Paracletus, in nomine tuo nostri benedictus Dei Domini Paracleti, det nobis peræque Spiritum sanctum Deum nostrum Paracletum, et sit semper omnis honor, laus, et gloria, merito vobis bene-

« dicto Deo Domino Paracleto, trino 542 pariter et uni vestro simul benedicto nomini, necnon et numini, amen, Porro ne te moveat illud, quod ibi pluraliter dicitur, semper omnis honor, laus et gloria, merito vobis benedicto Deo Paracleto, trino pariter et uni, vestroque simul benedicto nomini : cognosce quia sic procul dubio congruit dici. Nam quando loquimur ad unam ex Trinitate personam, non ad Trinitatem loquimur, sed ad unum quemlibet ex Trinitate. » Et hic plura hoc modo scribit. Deiloquus autem Paulus non taliter oravit, nec nos orare taliter docuit, ut Augustinus hinc in libro de Bono perseverantiæ dicit (cap. 23) : « Nam quid oremus, sicut oportet nescimus; Sed ipse Spiritus, ait Apostolus, interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui enim scrutatur corda, scit quid sapiat spiritus, quia secundum Deum interpellat pro sanctis (Rom. viii, 26). Quid est ipse spiritus interpellat, nisi interpellare facit gemitibus inenarrabilibus, sed veracibus, quoniam veritas est Spiritus? Ipse est enim, de quo in alio loco dicit, Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem : Abba, Pater Gal. iv, 6). Et hic quid est clamantem, nisi clamare facientem? tropo illo quo dicimus lætum diem, qui lætos facit, Quod alibi manifestat, ubi dicit, Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore : sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater (Rom. viii, 15). Ibi dixit clamantem, hic vero in quo clamamus : aperiens videlicet quomodo dixerit clamantem, id est, sicut jam exposui, clamare facientem. » Non tamen iste spiritus, qui nos clamare facit Abba, Pater, ingratos nos facit, sicut Gothescalcus superius dicit, cæteris personis, id est personæ Filii, et suæ, cum dicimus Abba, Pater, sine nominatione Filii et ejusdem Spiritus sancti. Et item Augustinus ex Apostolo testimonium ponit dicens, « Accipimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater. » Quod vidit et beatus Ambrosius. Ait enim : « Et orare Deum gratiæ spiritalis est, sicut scriptum est, Nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto (I Cor. xiii, 3). Hinc Augustinus et Ambrosius ex Apostoli testimonio non docent nos in oratione loquentes ad unam ex Trinitate personam postea debere dicere cæteris personis, Et vobis gratias agimus, Et vobis supplicamus. Et alibi dicit Apostolus, Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo : et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus (II Cor. vi, 16). Has igitur promissiones habentes, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Christi (II Cor. vii, 1). Et non timuit ingratus esse cæteris personis, Patri videlicet et Spiritui sancto, quia tantum in timore Christi nos docuit perficere sanctificationem. » Et sanctus Augustinus in libro contra Judæos, et paganos, atque hæreticos : « Quid agis, inquit, Loth sancte? Angelos vides, et non unum sed duos, et dicis, Domine? Ad unum verbum facis, unum precaris, non me-

tuis ne alteri injuriam facere videaris? absit. » Sunt et multa hinc testimonia in Scripturis tam Veteris quam Novi Testamenti. Et ut beatus Augustinus 543 in libro de Trinitate dicit : « Ubiunque in Scriptura sancta legitur solus Deus, non de qualibet persona in sancta Trinitate intelligendum est, sed de tota sancta Trinitate, quæ æqualiter operatur omnia quæcunque operanda esse judicat. Unde quod in psalmis dicitur, Qui facit mirabilia magna solus (Psal. lxxvi, 13); et, Qui facit luminaria magna solus (Psal. cxxxiii, 7); et, Tu es Deus solus (Psal. lxxxv, 10); et, Nemo bonus nisi solus Deus (Luc. xviii, 19); Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est (Deut. vi, 4) : non de solo Patre, sicut adversarii volunt, intelligitur dictum : sed de tota sancta Trinitate, quæ est unus solus Deus. Similiter de Patre solo non est intelligendum quod Apostolus ait, Beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem; quem nemo hominum vidit, nec videre potest (I Tim. vi, 15). In quibus verbis, nec Pater proprie nominatus est, nec Filius, nec Spiritus sanctus; sed absolute beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, quod est unus solus, beatus potens, invisibilis, verus Deus, ipsa Trinitas, quæ æqualiter beata est, æqualiter potens, imo omnipotens, etiam et unipotens, quia una potentia est totius sanctæ Trinitatis. Neque enim, quia ipse Filius alibi loquens voce sapientiæ, ipse est enim sapientia Dei, ait : Gyrum cæli circuivi solu (Eccli. xxiv, 8), separavit a se Patrem : quanto magis ergo non est necesse ut de Patre tantummodo, præter Filium et Spiritum sanctum, intelligatur quod dictum est, Solus habet immortalitatem, et, lucem habitat innaccessibilem? Sic nec tantummodo de Filio, præter Patrem vel Spiritum sanctum, cum dicitur Sapientia superbiorum et sublimium colla propria virtute calcavit. Sic nec de Spiritu sancto tantummodo, præter Patrem et Filium, cum dicitur, Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis (Sap. i, 7). Sic nihilominus intelligendum est quod dicitur : Sicut Pater vivificat, sic et Filius quos vult vivificat (Joan. v, 21). Non tamen alios vel aliter Pater, et alios vel aliter Filius : sed eosdem quos Pater vivificat, vivificat et Filius. Similiter nec Spiritus sanctus ab hac vivificatione secernendus est : quia unum opus est Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut una substantia atque essentia est. Ergo Pater vivens vita, Filius vita vivens a vivente, Spiritus sanctus vita et vivificator viventium, et non tres vitæ, sed una vita est : et Pater virtus et sapientia, et Filius, quem vocat Apostolus Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam (I Cor. i, 24), similiter virtus et sapientia : non tamen tres virtutes, nec tres sapientiæ, sed una virtus et una sapientia, Pater et Filius et Spiritus sanctus; quia hæc nomina substantialia sunt et non relativa, sicut una substantia, et una omnipotentia, et alia quæ de substantia divinitatis dicuntur : et est Pater

verum lumen, et Filius verum lumen ex lumine, Spiritus sanctus verum lumen et vera illuminatio, et non tria lumina, sed unum lumen. Unde scriptum est, *In lumine tuo videbimus lumen* (Psal. xxxviii, 10), sicut et una virtus, et una sapientia : quia in illa simplicitate divinæ naturæ non est aliud sapere quam esse, non est aliud esse quam posse, nec aliud posse quam vivere. Eadem ibi sapientia quæ essentia, eadem vita quæ et essentia, et hæc omnia unum et unus Deus.» Et item sanctus Augustinus in Tractatu psalmi octogesimi quinti : « Nul- lum majus donum præstare posset Deus hominibus, quam ut Verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, et illos ei tanquam membra co- aptaret, ut esset Filius Dei, et filius hominis, et unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus ; ut et quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde Filium separemus : et quando precatur corpus Filius, non a se separet caput suum, sitque unus ipse Salvator corporis sui Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, qui et oret pro nobis, et oret in nobis, et oretur a nobis : orat pro nobis ut sacer- dos noster, orat in nobis ut caput nostrum, oratur a nobis, ut Deus noster.» Et in sermone de Unitate Patris et Filii et Spiritus sancti contra Arianos di- cit : « Quia ministrante Domino habes abundantem Dominici verbi panem, pone adhuc super mensam cordis illius panem quoque Dominicæ orationis, et commemora illum, quoniam Dominus in Evangelio dixit, *Quidquid in nomine meo a Patre petieritis, ego a Patre peto et dabitur vobis* (Marc. xi, 24). Et quo- modo in demonstrata a se oratione, quasi oblitus illa quæ dixerat, se prætermisso, Patrem solum ro- gare jubet dicens : *Ita orabit, Pater noster qui es in cælis ?* (Mat. vi, 9.) Et ubi est quod dixit : *In no- mine meo a Patre petite, et ego a Patre peto ?* (Joan. xvi, 27.) Quomodo nomen suum, per quod peti ipse jus- sit, in oratione a se demonstrata prætermisit ? Sed quia idem ipse dixerat, *Qui me videt, videt et Patrem* (Joan. xiv, 9), voluit hoc mysterium a fidelibus in Dominica oratione impleri, ut per hanc orationem in Patre etiam Filius rogaretur : et quia in Symbolo iterum et separatus a Patre nominatur, cum dicitur : Credo in Deum Patrem, et in Jesum Christum Fi- lium ejus ; ut propter unitatem deitatis sic esset a Patre in Symbolo separatus, ut esset iterum in ora- tione conjunctus, quatenus hæc utraque mysteria Symboli et orationis, et Trinitatem in unitate osten- derent, et iterum unitatem in Trinitate monstrarent. Non ergo se in oratione prætermisit, sed in Patris unitate conjunxit. Sicut ergo, cum Patri offers, in oblatione Filii corpus associas, sic et in Dominica oratione, mutuata mysterii vice, cum Patrem rogas, Filii quoque nomen imploras. Et ut adhuc apertius intelligas, quia in Patre et se tunc orari jussit, di- ligenter sequentia perscrutare. In ipsius enim ora- tionis principio Patrem tantum invocari præcepit, et inferius dicit, *Adveniat regnum tuum* (Luc. xi, 2), cum utique non Patris sed Filii exspectetur adven-

tus, sicut etiam de Filio tradita ab apostolis Symboli confessio tenet dicentis, *Sedet ad dexteram Patris, inde venturus judicare vivos et mortuos*. Vides ergo quomodo per hanc orationem se et Patrem in una substantia, et in una deitate conjungit. Ecce ille futuri judicii dies, qui venire per Filii adventum promittitur, de Patris præsentia præstolatus, sit jam indubitæ unitatis testimonium, sic ut de Filii adventu loquitur promissus, de Patris præ- sentia doceatur impletus.» Et aliquanto superius : « Si ergo majorem Patrem et minorem Filium dicis, gradum facis, et unitatem tollis, et cum offers in oblatione, non potes dicere, *Offero tibi, Deus, sed, Offero vobis, dii* ; quod est absurdum et inauditum : aut certe, si vicibus et singillatim offeras, et semel offeras Patri, semel offeras Filio, cum Patri offers, Filium prætermittis, et cum Filio offers, Patrem a munere offerentis excludis. Si autem Filio sine Patre offers, jam non poteris per orationem Dominicam mysterii sacramenta complere, ut dicas ad plenitu- dinem perfecti holocausti orationem Dominicam, id est, Pater noster qui es in cælis, quia Patrem, cui non offers, nec orabis. Si iterum Patri incorporeo offers, et Filium prætermittis, oblatis panis myste- rium non poterit in corporis sacramenta transire, neque in consecratione holocausti commemoratio- nem Dominicæ cænæ facere poteris, quia quod Fili- us corporeus suo corpori deputavit, et ad passionem suæ memoriam pertinere jussit, Patri incorporeo a passione alieno, si a Filio separatus fuerit, non poterit deputari. Si ergo offers Patri et Filio, unitate Deitatis offers ei. Tunc mysterium corporis etiam Patris sacramenta suscipient, vel tunc ora- tio Dominicæ recte in filii oblatione dicitur. Separatus autem Pater a Filio offerentibus sibi sacramenta corporis non poterit exhibere quod non habet : divisus a Patre Filius in oblatione sua per orati- onem Dominicam, quod in ipso non est incongruum Patris nomen accipiet. Confitemur ergo Patrem et Filium unum esse Deum, et unius esse substantiam, et Patris paternitas cum Filii deitate se jungat, consecrata Filii caro cum Patris semper deitate misceat, et tunc jam qui potest sic in unum connexas mysticas formas a deitatis unitate dissolvat, cum uno sacrificio, et Pater in se totam Filii carne suscepit, et Filius in se totum Patris nomen assu- mit.» Et item ibi : « Unus quidem carnem portans, sed caro indivisæ deitatis mysterio consecratur. Et ideo caro in Patris et Filii sacramento transmigrat, et consecratio vel communicatio corporis hunc honorem Patri confert quem præstat et Filio : et sic offeritur Filio, sic offeritur et Patri, et offerenti communicanti ad altare, in una eademque obla- tione, quod præstat Filius, hoc præstat et Pater. Nam si Filium a Patre separas, ergo Patri incor- poreo neque offers, neque comunicas, quia omnis oblatio in corporis sacramenta transmigrat. Cum enim dicitur, *Hoc est corpus meum*, Pater qui incor- poreus est si separetur a Filio, extra sacramenta

Patris omnis separatur oblatio. Nam quomodo dicis, cum Patri offers, *Hoc est corpus meum*, si Patris deitas incorporea non habet in Filii corpore societatem? Si autem Patris incorporea deitas cum Filii corporea deitate miscetur, sicut est veritas mysterii, Patrem et Filium sub indiscreta deitate unum Deum esse testaris, quia cum offers oblationem non dicis, *Offero* 546 vobis, sed offero tibi, et sic omnis oblatio Patri quidem et Filio offertur, sed sub utriusque nomine uni Deo monstratur oblata. Et item in eodem Sermone: Pater Deus, Filius Deus, uterque tamen sine duorum deorum numero unus Deus. Hoc et David patriarcha constitetur dicens: *Deus Deus meus, respice in me* (Psal. XXI, 2); et non dicit, respicite in me: et iterum dicit: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo* (Psal. LXII, 2); et non dicit, ad te de luce vigilo. Quæ confessio David Domini quoque responsione firmatur, cum respondit oranti et dicit, *Deus Deus tuus ego sum* (Psal. XLIX, 7), et non dicit *sumus*. Et iterum David dicit: *Tu es Deus solus, qui facis mirabilia* (Psal. LXXXV, 10). Deum ergo et Deum propheta nominans Patrem et Filium constitetur, cum iterum dicit: *Tu es Deus solus, utrosque in una deitate complectitur, sicut Deus et Deus, sine duorum deorum numero nunc, uterque in unitate conjungitur. Sicut ergo David in oratione sua utrosque nominat, et unum tamen orat, sic et tu cum Patrem et Filium nominas, in utrisque unum Deum et unum Dominum confitere.* » Et item in eodem sermone. « Legisti ergo Patrem Deum, Filium Deum, Spiritum sanctum Deum: in hac tamen deitatis Trinitate nusquam legisti duos vel tres deos, sed multifarie unum Deum. Quod legisti crede et confitere: illa vero noli quærere et usurpare quæ non legis. » Et item: « Visus est Abrahamæ Deus ad illicem Mambre, cum sederet ante ostium tabernaculi sui in medio die, et respiciens ocalis vidit, et ecce tres viri stabant super eum; et cum vidisset eos, occurrit obviam illis, et adoravit et dixit: *Domine, si inveni gratiam in conspectu tuo, noli transire puerum tuum* (Gen. xviii, 1). Dicitur ergo, apparuit illi Deus, et in hoc uno respiciens, vidit tres viros, et cum occurrisset tribus, et adorasset unum Deum, rogavit dicens, *Domine, si inveni gratiam in conspectu tuo*. Nemo illum calumniatus est quod in tribus viris unum Deum et unum Dominum adorasset: et iterum, quod in uno Deo, et in uno Domino tres viros vidisse se diceret. Sed qui hoc mysterium sic non intelligit, oculos Abrahamæ non habet. Quærat ergo cœleste collyrium, et superinungat oculos suos, ut remota caligine ignorantiae, in unitate deitatis mysterium Trinitatis agnoscat, et in uno Deo, sicut Abraham, tres viros sine discretionem meritorum, vel sine aliqua diminutione potestatis videat, et posteaquam tribus occurrerit, non tres, sed unum Deum et unum Dominum roget, et per hujus divisionis demonstratam formam, Trinitatem semper unius esse deitatis intelligat. » Et item ibi: « Adjuro te per hæc ipsa quæ angariatus

A ostendi tibi, per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, in deitate Trinitatis unum Deum, ut sicut per designatam Evangelii formam in una via per æqualia trium millium spatia, non tria itinera, sed unum iter ostendi, sic et tu secutus hunc Evangelicum tramitem, non tres deos, sed unum semper Deum in Trinitate deitatis intelligas, ut cum oblationem mysterio Trinitatis offers, non tribus diis, sed uni Deo offeras: quia ubicumque in Scripturis divinis audis Patrem Deum, Filium Deum, 547 Spiritum sanctum Deum, et tamen nusquam tres deos, sed semper unum Deum legis, et semper tibi unus Deus, annuntiatur. Retine ergo semper hæc signa quæ tibi demonstravi, quia nec Patri possis offerre sine Filio, neque Filio sine Patre: quia si tantum Patri incorporeo oblationem offers, oblationem in corporis sacramenta non redigis, non potes dicere, *Pridie quam pateretur* formam sacrificii instituit, nec potes dicere: *Hoc est corpus meum*: quia Pater neque corpus habuit, neque passus est: et iterum, si Filio sine Patre offeras, orationem Dominicam ad complementum perfecti holocausti dicere non potes, quia in oratione Filii separati a Patre Patris nomen non potes invocare. Vide ergo quam adeo inexpugnabilia sunt, et derelinquens tam hæreticum errorem, catholicam sequere veritatem. Alioquin qui tibi aliud quam a me demonstratur iter ostendit, dicat tibi quomodo prætermittis his solemnibus inter mysteria loquaris. Sin autem in designata a me claritate luminis caligo defecit erroris, pertinacia simul deficiat, ne dum in errore vinci erubescitis, promissionem æternæ vitæ de Christi veritate perdatis. Si quis tibi ergo dixerit, Pater major Deus, Filius minor Deus, Spiritus sanctus tertius Deus, et in his tribus non est una substantia, sed separatim in trium deorum numero sine deitatis unitate consistunt: responde illis, primo illam rationem quæ tibi exposita est, quia separatæ a se Trinitati offerri non potest, quia neque Pater corporeus est, neque passus est, et oblationem in corporis sui sacramenta redigere non potest, neque testem passionis suæ, qui non est passus, illam Dominicam cœnam facere potest, neque in consecratione mysterii dicere potest, Qui formam sacrificii perennis instituit. Quod enim Pater non instituit, sed Filius, qui et corpus habuit et passus est, et formam instituit sacrificii, si de Patre a Filio separato dicatur, mendacium est, ut quod Pater non dixit Patrem dixisse confingant. Qui ergo Patri a Filio separato offerre vult, relictam jam nobis sacrificii formam, relictam etiam Ecclesiam a Christo, et ab apostolis fundatam, ad Synagogam et ad templa ad vitulos et ad arietem victimas sedeat, quia separat a Filio Patrem in Patris oblatione sacrificiorum a Filio instituta, non jungit. Si autem Patri et Filio simul offert, Patrem et Filium a deitatis unitate non separet. Si dixerit ergo duos deos, licet ad reverentiam ipsius sufficere debeat reddita sacrificii ratio: tamen commemora illum quia Apostolus dixit:

unus Deus (Gal. III, 30), et lex ad Moysen data dicit, *Dominus Deus tuus Deus unus est* (Deut. VI, 4) : et ille blasphemans dicit duos vel tres duos sine unitate deitatis. Quod si adhuc sic dividit Trinitatem, ut in unum non resociet mysterium Trinitatis, saltem ad Symboli rationem redeat ubi dicitur, Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Jesum Filium ejus, qui natus est de Spiritu sancto. Primo Christi Patrem Deum omnipotentem esse testaris; deinde natum Christum de Spiritu sancto dicis. **548** Si ergo separas Trinitatem, Christum duorum patrum filium reddis, ut de Patre omnipotente et de Spiritu sancto natus esse dicatur. Junge ergo cum Patre Spiritum sanctum, ut recte possis Christum unius Patris Filium confiteri : et cum per hanc Symboli orationem in unum Patrem et Spiritum sanctum sociaveris, Filium quoque, quem non tertium sed medium in Trinitate facis, magis a deitatis unitate non separe. » Et in libro tertio de Trinitate : « In quibus angelis erat utique et Pater et Filius et Spiritus sanctus, et aliquando Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus sanctus, aliquando sine ulla distinctione personæ Deus per illos figurabatur, et cætera quæ ibi prosequitur. » Et beatus Ambrosius in Hymnis, quos catholica frequentat Ecclesia, nunc ad Patrem, nunc ad Filium, nunc ad Spiritum sanctum loquens, non solitarie eidem personæ in sancta Trinitate, ad quam loquitur, gloriam singulari numero refert, et postea plurali numero alias personas, ut blasphematur Gothescalcus, alloquitur : sed quidquid substantialiter de Deo, videlicet sancta Trinitate dicit, singulari numero effert; ut est :

Somno relectis artibus, spreto cubili surgimus,
Nobis, Pater, cauentibus, adesse te deprecimus.

Et :

Splendor paternæ gloriæ, de luce lucem proferens,
Lux lucis et fons luminis, diem dies illuminans.

Et :

Nunc sancte nobis Spiritus, unus Patris cum Filio,
Dignare promptus ingeri, nostro refusus pectori.

in quorum hymnorum conclusione sanctæ Trinitati semper unam et æqualem gloriam refert dicens :

Præsta, Pater piissime, Patrique compar unice,
Cum Spiritu paraclito, regnans per omne sæculum.

Vel :

Deo Patri sit gloria, ejusque soli Filio,
Cum Spiritu paraclito, et nunc et in perpetuum.

Vel :

Laus, honor, virtus, gloria, Deo Patri et Filio,
Una cum sancto Spiritu, in sempiterna sæcula.

Vel :

Gloria tibi, Domine, qui surrexisti a mortuis,
Cum Patre et sancto Spiritu, in sempiterna sæcula.

Vel :

Christum rogemus et Patrem, Christi Patrisque Spiritum
Unum potens per omnia, fove precantes Trinitas.

Et simul sanctam Trinitatem alloquens, similiter singulari numero petit dicens :

O lux beata Trinitas, et principalis unitas,
Jam sol recedit igneus, infunde lumen cordibus.

Et sanctus Augustinus in libro primo de Trinitate (cap. 8) dicit, « Denique propter ipsam inseparabili-

tatem sufficienter aliquando nominatur, v. solus, vel Filius solus, adimpletur nos læt vultu suo, nec inde separatur utriusque Spiritus est Patris et Filii Spiritus. Qui Spiritus precitur Spiritus veritatis, quem hic **549** muticipere non potest. Hoc est enim plenum nostrum, quo amplius non est, frui scilicet Deo, ad cujus imaginem facti sumus. Pro aliquando ita loquitur de Spiritu sancto, et solus ipse sufficiat ad beatitudinem nostram sufficit, quia separari a Patre et Filio non sicut Pater solus sufficit, quia separari a Spiritu sancto non potest : et Filius ideo solus, quia separari a Patre et Spiritu sancto potest. » Et item (cap. 9) : « Propter insinuationem Trinitatis, personis etiam singulis nominantur quædam separatim, non tamen aliis intelliguntur, propter ejusdem Trinitatis unamque substantiam, atque deitatem Patris et Spiritus sancti. » « In sacrificii etiam celebratione, sicut et beatus Augustinus suis commemorat, gratias Domino Deo nos commonemur, quia et hoc quod inter sacrificia cor habere sursum jubemur, ipso adjuvalemus quo jubente admonemur : et ideo pue in ipso sacrificio corporis Christi a gratia actione incipimus, reddentes debitas laudem Patri, qui in plenitudine temporum missum suum, factum ex muliere, factum sub eos qui sub lege erant redimeret, ut ad filiorum reciperemus, secundum prædicationem beati Petri dicentis : *Quia non corruptibili vel argento redempti sumus de vana nostra traditione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine incontaminati et immaculati Jesu Christi* (1, 18), per quem et majestem ejus laudamus et nos sine speciali nomine tenus commendamus sancti Spiritus ei gratias agimus, nostrasque angelorum vocibus catholica et apostolica traditione formati admitti deprecimus. Sicque etiam hymnum ore confitentes offerimus, et Trinitatem fide ac mentis intelligentia unum divinitatis, æqualis gloriæ, cœternæ memoriam prædicantes, catholica et apostolica informati, una gloria collaudamus dicentes, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth, pleni cæli et terra gloria tua : et cum Patrem præfationem alloquamur, non tamen se Goteschalcum adjicimus, vel subjicimus, non Filio et Spiritui sancto simus : Et vobis agimus; et, Pleni sunt cæli et terra gloria quia nec Abraham, quando exsultavit ut diem Domini, et vidit et gavisus est, tres vidit corde et in domo fide et opere fideliter fidepiens hospitio, offensam incurrit, sed meritorie gnæ fidei reportavit, quando tres vidit, et unum alloquens, unum etiam adoravit. Et hujusmodi preces ac præfationes receptibilis tholicæ, confirmatæ a sede apostolica atque

versali Ecclesia cognoscuntur. Sicut et in Africano concilio decretum fuisse relegitur (*cap. 70*) : quod est nihilominus constitutum, ut aliæ omnino preces, sive præfationes, vel commendationes, seu manus impositiones, quæ probatæ non fuerint **550** in concilio, nec aliæ omnino contra fidem proferantur, sed quæcunque cum prudentioribus fuerint collatæ dicantur. » Qua de re collatæ Goteschalci orationes ceteris catholicis precibus, quantum a fide distent et charitate, manifeste cognoscitur. « Scripsit quoque ad Deum loquens, et dicens ei quod ipse illi præceperit ut pro me non oraret, et quia primum Filius in eum intraverit, postea Pater, deinde Spiritus sanctus, qui in illum intrans ei circa os barbam adussit : et quia nollet vestimenta de vestiario fratrum communicantium mihi accipere, nisi pretio compararet qui pretium non habebat, sed sic vellet ire, sicut Adam ibat antequam peccaret. Mox autem ut frigus eum cœpit constringere, cum vestimentis etiam pelliciam et focum studuit quærere. » Scripsit et alia multa ridicula, quæ apud fautores suos, quibus ea servanda fraudulenter donavit, invenimus : quæ non solum nobis, verum et ipsis complicibus suis visa sunt frivola, et idcirco, ut revera deliramenta maniatici, et aniles fabulas, hic inserere superfluum duximus. Ponendam tamen adhuc unam de ejus nãniis censui, ut per ea, sicut et per supra ex integro positas, aliæ valeant innotesci. Ante hos siquidem annos revelatum sibi quibusdam familiaribus suis scripsit, quod ego statim post tres semis annos suæ revelationis, sicut Antichristus usurpans sibi potestatis potentiam mori, et ipse Rhemorum episcopus fieri, et post septenium veneno interfici, et sic gloriæ martyrum adæquari deberet. Et cum prophetiam a spiritu suo inspiratam impleri non vidit, inter alia hæc cuidam sectatori suo juvenculo, quales solebat diligere, scripsit :

XIX.

÷ « Sed jam tempus est fratrem deseri absentem, et quid ad eum loquar antequam scripta mea videat penitus nescientem, et fundi preces ad Deum semper ubique præsentem, et sicut gratuitum donatorem cuncta sempiternaliter scientem. Domine Deus noster et magister Jesu Christe, pro solis electis crucifixe, qui vides quod ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput, quia non est post triennium dimidio terminato anno mortuus, ceu putabatur, fur et latro, breviter quidem sed pronus te exoro, huic vobis Domino Deo nostro vero ac vivo, uni simul ac trino, sicut placet ita facias cito. Nolo plus, nec prius, nec secus : quando vis evellatur hinc rite, vitæ sat, mœchus, et cæcus, procax, pertinax, pervicax, hæreticus, veritatis inimicus, falsitatis amicus. »

XP. Idem quippe Goteschalcus solet frequentissime dicere, ut sæpe commemoravimus, loquens de beato Augustino, *Augustinus noster*. Sed et hic

A non est suus Augustinus, quia non taliter docuit orare pro inimicis, sicut orat Goteschalcus, qui non est Augustini. Dicit enim beatus Augustinus in sermone de verbis Apostoli : Si ergo Christum volumus imitari, per ipsam viam debemus currere, qua Christus et in cruce pendens dignatus est ambulare. In cruce **551** enim fixus erat, et charitatis viam currens pro suis persecutoribus supplicabat. Denique sic dixit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quod faciunt* (*Luc. xxiii. 34*). Et non ergo pro omnibus inimicis nostris hoc jugiter supplicemus, ut illis Deus emendationem morum, et indulgentiam tribuat peccatorum. Quod et ego qualiscunque et quantulusque peccator, etiam pro illo, et si non credebat, dum tempus fuit agere procuravi, certus de promissione divina, *Si quid petieritis*. inquit, *Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan. xvi, 23*). Quia et si non eis pro quibus petimus dabit, tamen nobis, cum pro aliorum erratibus misericorditer intervenimus, præmium nostræ benignitatis restituet. Quod enim scripsit sibi a Deo prohibitum, ut pro me non oraret, mentitur ut solet. Qui enim jussit discipulis suis dicens : Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est (*Matth. v, 44*) ; et quod verbo docuit, in cruce pro se crucifigentibus exorans ostendit, sibi ipsi contrarius esse non potuit. « Et sanctus Cœlestinus papa (*post. epist. 8*) dicit : « Obsecrationum, inquit, sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ apostolis tradita in toto mundo atque in omni catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium præsules mandata sibi met legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente, postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ab lato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici catholicæ fidei perfectione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis cœlestis misericordiæ aula reseretur. Hæc autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus, quando quidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filii claritatis suæ, et ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ ; quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referantur. » Et beatus ostendit Gregorius, « quia nemo malus, sicut in malo suo mutari, ita non debet a quocunque, dum in hac vita est, desperari, » Et licet in Veteri Testamento, ubi scriptum est, *Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (*Matth. v, 45*), quod Novo Testamento pro temporum ratione mutavit dicens : *Diligite inimicos vestros benefacite his qui oderunt vos* (*ibid.*

xiv), legatur Dominus dixisse ad Jeremiam prophetam, *Noli orare pro populo isto* (Jer. vii, 16), tamen, ut beatus Ambrosius in libro de pœnitentia contra Novatianos dicit (*lib. 1, c. 8*): «Oravit idem propheta pro populo eodem, et veniam promeruit. Denique intercessione prophetica, et obsecratione tanti vatis inflexus Dominus dicit ad Hierusalem, *Domine 552 omnipotens Deus Israel anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te, exaudi, Domine, et miserere* (*Baruch. 3*). Et jubet luctus vestimenta deponi, et abjici gemitus pœnitentiæ. Sic enim scriptum est in fine libri: *Exue te, Hierusalem, stola luctus et vexationis tuæ, et indue te decore ejus quæ tibi a Deo data est gloria in æternum* (*Baruch. v*).» Ipse vero pseudomonachus, vel alius hoc vel alio aliquomodo fidei sinceræ adulteratur, et apertus hæreticus, cujus orationes non commendat charitas, nec recipit catholica fides, cui taliter postulanti cum suis complicibus respondet Dominus per Apostolum, *Petit is et non accipitis, eo quod male petit is, ut in concupiscentiis vestris consummatis* (*Jac. iv, 3*). Qui talia contra canones sacros præsumit, si gradum ecclesiasticum videtur habere, eo privari vel ab ecclesiastica communione separari est dignus. Secundum rugulam autem sancti Benedicti, improbus, durus, et superbus, vel inobediens, verberum vel corporis castigatione, non solum in sua pertinacia permanens, sed et in ipso initio peccati, est coerendus, et a sanis Christi membris censura ecclesiastica segregandus, ne una ovis incurabili morbo languida totum gregem contaminet.

Hæc omnia post librum de Prædestinatione, contra Gothescalcum et complices ejus, asserentes quia sicut quosdam ad vitam, ita quosdam Deus prædestinavit ad mortem, de authenticis scripturis, et catholicorum dictis collectum, statim in initio suæ de trina deitate blasphemiam collegi et scripsi, et per me ac per fratres meos, sed et per frequentia scripta, ut resipisceret, et a suis in Deum blasphemias sensum et os suum revocaret, sæpe commonui, sed apud eum nihil profeci. Tandem cum mihi nuntiatum fuit a fratribus nostris, quibus de eo sollicitudinem delegavi, quia morti appropinquabat, misi ei per eosdem fratres hanc quæ sequitur scedulam. Sic crede de prædestinatione a Deo electorum, et relictione reproborum, et quia Deus omnes homines vult salvos fieri, licet non omnes salventur, et qui salvantur salvantis sit donum, et qui pereunt pereuntium sit meritum, et quia Deus ac Dominus noster Jesus Christus pro omnibus passus sit, cujus sanguis totius mundi est pretium, a quo extranei sunt qui delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem peccando, et in peccatis corde impœnitente perseverando, ad eandem sunt servitutem reversi. Et de gratia et libero arbitrio, sicut sanctus Augustinus docet in his libris suis, id est de Correptione et Gratia, de Prædestinatione sanctorum, de Dono vel Bono perseverantiæ, et in libro de Spiritu et Littera, et in libro Hypomnesticon, et in epistola ad Sixtum Ec-

clesiæ Romanæ presbyterum, et sicut hinc a Prosper ex libris beati Augustini ad objectionum, et Vincentianorum, et Januensium psit, et cæteri catholici doctores dicunt, quia apostolica, et sancta catholica Ecclesia, sic credimus et tenemus. De sanctæ aut inseparabilis Trinitatis deitate, quæ est unitatis, sic crede et confitere, sicut credit, *confiteor 553* et prædicat sancta catholica et apostolica Ecclesia dicens: Fides catholica hæc est, ut Deum in trinitate personarum, et trinitatem personarum in unitate deitatis veneremur, neque confundentes personas, sicut Sabellius ut tres neque ut Arius substantiam separantes, ut trinitatem quia alia et non aliud est persona Patris, alia et non aliud est persona Filii, alia et non aliud est persona Spiritus sancti, sed Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas, et in hac sancta et inseparabili Trinitate neque prius aut posterius, nihil majus vel minus, neque tres personæ, Pater et Filius et Spiritus sanctus coæternæ sibi sunt et æquales, ita ut personarum veneranda sit. Et si ita credideris corde tuo, et ita professus fueris in ore tuo subscripseris coram testibus manu tua te credidisse, et in hac credulitate et professione perseverare, iudicio sancti Spiritus, per episcopatum, et synodum, quo damnatus es, absolvi poteris, et participationi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, et communioni catholice Ecclesie participabis. Ipse vero hæc audiens in furorem versus, quæ sibi mandata sunt detestari, et amplius blasphemare. Post discessum denique a me in fratrum, recogitans duritiam illius, et cor intentens, misi fratribus nostris in monasterio Alaris, in quo degebat, hanc quæ sequitur paginam, si respiciente Domino a sua perversa intelligentia et prava sententia se revocaret, agerent de illis verbis jam dixeram. Sin autem, scirent quæ erga eum secundum regulas sacras gerere de hoc modo pro tempore, sicut mihi licuit, dixi qua conditione, si se Gothescalcus antequam illius egrediatur de corpore recognoverit, et ostendat lem et corporalem humanitatem illi exhibere, ne quid vobis desit in ulla gratia, auctoritatem ecclesiasticam ex verbis orthodoxorum vobis mitto. Ait enim de hujusmodi Leo, ut si frater dolet, et quam recte mota sit erga eum episcopalis auctoritas vel sero cognoscit, vel si ad satisfactionem plenitudinem omnia quæ ab eo male sunt servata viva voce, vel signo competenti damnaverit, communionem ecclesiasticæ unitatis, ac pacis et concordie signo competenti petierit, reconciliatio et conciliatio illi non denegetur, sicut Cælestinus, et Leo, canones decreverunt. Et si in hac confessione communionem obierit, sicut cæteris fratribus illi communem sepulturam, ac sepeliendi officium

orationem post obitum exhibete, quia Dominus noster, verus et bonus Pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et qui venit animas hominum salvare, non perdere, imitatores nos suæ vult esse pietatis, ut peccantes justitia coerceat, conversos autem in misericordia non repellat. Si autem in obstinatione sua usque ad mortem permanserit, tenendum nobis de illo est quod sanctus Leo de **554** communionem privatis et ita defunctis dicit (*epist. 95 ad Rusticum Narbon.*) : « Horum, inquit, causa Dei iudicio reservanda est, in cuius manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus. » Et item *epist. 59 ad Theodorum Forojul.*) : « Si, inquit, aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo a munere presentis indulgentiæ exciderit, et priusquam ad constituta remedia pervenerit, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos eorum qui sic obierint merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendere, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservavit. » Et sanctus Joannes apostolus dicit (*I Joan v, 16*) : *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut quis roget.* « Peccatum, inquit Gregorius (*lib. vi Moral., c. 28*), est usque ad mortem, quia scilicet peccatum quod in hac vita non corrigitur, ejus venia post mortem frustra postulatur. » Peccatum quippe usque ad inferos dicitur, quod ante finem vitæ presentis per correctionem ac pœnitentiam non emendatur. Et talium memoriam, scilicet in peccato perseverantium usque ad mortem, minime licet inter sacra altaris mysteria celebrari, in quibus pro eis oratur qui nos precesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis, in Christo videlicet quiescentes. Dormiunt ergo, ut catholici doctores dicunt, in somno pacis, qui ab unitate et societate Christi et Ecclesiæ, nec per hæreses, nec per schismata, nec per mortalia crimina separati sunt, in quibus et si aliquando fuerunt, tamen per pœnitentiam sanati, et per orationem Ecclesiæ, cui in Petro dictum est : « Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis (*Matth. xvi, 19*). reconciliati et redemptionis mysterio sociati, utique in pace obierunt, miserante illo qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ regnat nunc cum Christo in vivis et mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus, mortuus est Christus,

ut virorum et mortuorum dominetur (*Rom. xiv, 9*). » Unde et alibi ait (*I Thess. v, 9*) : « Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut, sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. » Quiescentes autem in Christo sunt, de quibus dicit Apostolus, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi (*I Thess. iv, 13*), et de quibus item scriptum est : « Beatus qui habuerit partem in resurrectione, non lædetur a morte secunda (*Apoc. xx, 6*). » Unde et Judas pontifex, sicut in libro Machabæorum legimus (*II Mach. xii, 45*), pro his qui cum pietate dormitionem acceperant, misit Hierosolymis offerenda. Et si, ut præmissi, in obstinatione sua permanens fuerit mortuus, sicut ex auctoritate beati Gregorii et sacrorum canonum accepimus, cum psalmis et hymnis ad sepulturam deportari, vel in communi fratrum sepultura **555** sepeliri non debet, privata autem sepulturæ humanitas, sicut vobis dixi, ei non est deneganda. Et cum jam finis ejus appropinquaret, fratribus qui aderant ut a pravo suo sensu et perversa sententia se revocaret, et communionem sacram perciperet, suadentibus respondit, a suo se sensu et sententia revocare et communionem per auctoritatem non posse accipere : sicque indignam vitam digna morte finivit, et abiit in locum suum.

EXCERPTUM

Ex epistola Gothescalci, quam ex Germania scripsit ad Ratramnum monachum Corbeensem.

Denique sunt multi, Domino donante, magistri
 Hac regione siti, ingenio locuplete periti,
 Unde palatina pleni que morantur in aula.
 Ad hos atque alios per barbara regna locatos,
 Cernua his avidus direxi scripta diebus.
 Orans magnopere dignentur ut ocuis inde
 Respondere mihi, ceu scis vehementer egenti.
 Estque Augustini his sententia missa beati,
 Quam liquido exponi auctori quadrando poposci.
 Nempe tribus horum studui proprium indere sen-
 Matcaudo, Jonæ atque Lupo, rutilantibus ore, [sum,
 Poscens obnixè satagant ut vera referre.
 Proposita est reliquis tantummodo quæstio cunctis.
 Opposui sane objicitur quod parte ab utraque.
 Nemo sed excepto quid adhuc mihi reddidit uno.
 Qui cum sit cautus simul et catus, est moderatus.
 Sic jam terna sui librans responsa libelli,
 Ut dempto neutri pleno discrimine parti
 Congruat. Unde tibi recitanda hæc utraque duxi,
 Respondere alii properant dum mente sagaci,
 Quo magis his mihi quam reputes, charissime, quid-
 [quam,
 Si videas aliquid concordans quod tibi non sit.
 At licet usque rogo mecum dvo perpete voto
 Pectore quin toto supplex orare memento,
 Donetur habilis quo sermo videlicet illis,
 Cumque vigore salis pia nobis pignora pacis. *